22

BERNHARDUS MAGNUS,

QVEM

SCHEDIASMATE ACADEMICO DELINEATUM,

MAXUMO JEHOVA ADSPIRANTE,

Amplissima Facultate Philosophica suffragante,

in Alma Salana

A. N. C. M DC LXXII. Mens. Novembr. d. 11.

horis locoque solitis

P. P.

PRÆSES

M. JOH. CHRISTIANUS Linck/

Mellingâ-Thuringus,

RESPONDENTE

NICOLAO WOLFIO,

Rheaviâ-Varisco.



Typis JOHANNIS NISI.

22



21.

SERENISSIMIS. AC. CELSISSIMIS. PRINCIPIBUS. AC DOMINIS.

DN. JOHANNI. ERNESTO.
DN. JOHANNI. GEORGIO.
DN. BERNHARDO.

FRATRIBUS. GERMANIS. DUCIBUS. SAXONIÆ. JULIACI. CLIVIÆ. AC. MONTIUM. LANDGRAVIIS. THURINGIÆ. MARCHIONIBUS. MISNIÆ. COMITIBUS. PRINCIPALI. DIGNITATE. EMINENTIBUS. HENNEBERGÆ. COMITIBUS. MARCÆ. ET. RAVENSBERGÆ. DYNASTIS. RAVENSSTEINI. &c.

PRINCIPIBUS. AC. DOMINIS. MEIS. CLEMENTISSIMIS.

SERENISSIMI. AC.
CELSISSIMI. PRINCIPES.
AC. DOMINI. DOMINI.
CLEMENTISSIMI.

MAgnam profecto rem ausus sum, qui Bernhardum Magnum, virtutes Ejus magnas, facta magna his pagellis

gellis repræſentare tentavi. Admiratio tanti Herois & veneratio, quam omnes Orthodoxi beatiſſimis Ejus cineribus debent, hunc ut ſubirem laborem, poſcebat. Deterrebant haud levia. Rem viribus meis eſſe majorem, nec verbis à me æquari poſſe, conſcius mihi omnino eram. Sin rudi Minerva ſummum Principem exponerem, ſine Apellis penicillo Alexandrum pingere, aut ſine Lyſippi cælo ſculpere videbar. Nec in vulgari ſolatio, voluntatem probari, cum deſint vires, ſpes erat. Quinimo verebar, ne in ipſa voluntate culpa hæreret. Heroës enim, quorum gloriæ minus limatum judicium

)(3 fraudi

fraudi esse potest, nemo tradere velle debet, nisi qui rite possit. Utcunque vero hæc haberent, ut propositi me pœniteret, efficere non poterant. Bernhardi virtutes & res gestas meo, licet multis parasangis inferiore, præconio obscurari, metus adeo esse nequit. Quippe eas jamdudum fama per orbem laudavit, cœloque & astris pares sustulit. Et licet mea crena ad laudes, quas Heros iste meritus est, adsurgere nesciat, justaque dignitate destituatur, hanc tamen à Serenissimis Vestris Celsitudinibus mutuari licere confisus sum. Atque hæc causa est, cur Magna Vestra Nomina cum debita veneratione præ-

scripse-

ſcripſerim, ut Eadem Titulo, à quo prorſus diſcrepat meus ſtylus, reſponderent, ac meo etiam labori aliquid ſplendoris, quo abundant, communicarent. Ne vero Principali hoc Veſtro ſplendore abuti viderer, eundem Vobis, à quibus accepi, reddere, & hanc Diſſertationem in ſubjectiſſimæ mentis indicium humillime conſecrare debui. Quod, Sereniſſimi Principes, facillime paſſuri ſitis, Celſiſſima Veſtra Nomina cum Sereniſs. Patruo Veſtro conjuncta eſſe, certo ſpero: ut exiguum hoc monimentum meæ ſubjectionis clementiſſime accipere, & Veſtra Gratia mea qualiaqualia ſtudia

digna-

dignari velitis, supplex oro. Diutius tempora Vestra, publicis commodis destinata, morari, mihi religio est. Summus Jehova ea longissima esse jubeat!

VVV. Serenissimarum Celsitudinum

Scrib. Jenæ M. Novembr.
d. 8. An. 1672.

devotissimus Servus

M. Joh. Christianus Finck.

I. N. J.

CAPUT I.

De
Eminentia potentissimæ Gentis Saxonicæ.

§. 1.



EROEM SAXONICUM producturus in scenam, de ipsa potentissima Gente Saxonica, atq; ante Hanc de totius Nationis origine, nomine atque Imperii ratione si pauca præmisero, quæ ad institutum meum facere videbuntur, non erravero. Atque originem quidem Saxonum quod attinet, ea nimiæ vetustatis sub involucris latens, apud Autores alios hic, alios illic eam quærentes, diversis nixos fundamentis, incerta est. Witechindus Monachus Corbejensis, de origine statuque Gentis Saxonicæ quædam expediturus, fatetur se solam pene famam sequi, nimia vetustate omnem fere certitudinem obscurante. Proin Autorum saltim indicaturus sententias modestiæ consulam; veritati, qui possunt, consulant alii. Tacitus de cunctis Germanis, adeoque Saxonibus adfirmat, esse *αὐτόχθονας* sive *indigenas, suoque solo innatos*; quem merito reprehendit Phil. Cluverius. Taciti vestigia le-

Vid. Nobiliss. Conring. præfat. in Corn. Tac. de Mor. Germ. p. 41. seqq.

Witechind. l. 1. de Gestis Saxon. p. 2.

Tac. in de Mor. Germ.

Phil. Cluverius in Germ. Antiq. l. 1. c. 4.

gere Altamerum adfirmat Johannes Bodinus, eoque nomine ad Censoriam sellam vocatum ineptiarum & impietatis condemnat. Alii vero alio significatu Germanos, & sub his comprehensos Saxonas, *indigenas* appellitant, quod post factam inter Noachidas terrarum divisionem aliunde non adventaverint; quam sententiam tuetur ipsemet Cluverius, eosdem, quos Tacitus *Fosos* indigitat, *Saxonas* esse (inepte vero disserit, qui factum, quod apud Tacitum pro *Saxones* legatur *Fosi*, judice Georg. Hornio) primitusque in Holsatia sedes suas habuisse, post ampliasse contendens. Pro indigenatu Saxonum ita accepto, tanquam pro aris & focis, pugnant etiam Georg. Fabricius Chemnicensis, Henricus Bebelius aliiq; multi. Hos pariter & Tacitum refutat Robertus Scheringhamus. Nonnulli, referente Fabricio, *Graecorum foetum atque Macedonici exercitus, praematura Alexandri Magni morte per totum orbem dispersi, quasi reliquias* satis temere producunt Saxonas. Alii cum omnibus Germanis ex *Asia* accersunt. Ita sentit M. Abr. Sawr; cui calculum suum adjicit Hornius. Huc etiam spectant, qui Germanos *Carmanos* Persas esse venditant, & Saxonas *Sassonibus* vel *Sacis* originem debere, inque Darii exercitu contra Alexandrum militasse adseverant, Cluverio vero nugantur, & à Bunone ut pariter *Cimbros à Cimmeriis, Misnios à Mysiis, Thuringos à Tyragetis, Cauchos à Caucombus, Frisios à Phrygibus* deducendos esse concedant, postulatur, quod vero juxta Bunonem per nudae vocabulorum allusionis deceptionem fit, omnibus licet antiquis sacrarum ac profanarum historiarum monimentis reclamantibus. Conringio, qui propter istam soni convenien-

tiam,

Johannes Bodinus Method. Histor. c.9.p.m.481.

Cluv. l. c. l. 3. c. 21. it. Introd. in Geogr. l. 5. c. 2. Georg. Horn. in Arca Noa p. 191.

Fabric. Chemnic. Origg. Saxon. l. 1. p. 3. Henr. Bebel. Ep. ad Petrum Jacobi Arlunensem &c. de Germanis indigenis, quae habetur Tom. 1. Operis Historici in IV. tomos divisi, p. 217. seqq. R. Scheringh. Disceps. de Anglorum Gentis origine cap. 14. Abr. Sawr libell. quem inscribit: Nahmen fürnehmer Teutschen Völcker. Hornius Orb. Polit. part. 3. p. 145. Cluverii introd. in Geo. l. 3. c. 4. Johan. Buno Not. ad Cluv. l. c. Conring. l. c.

tiam, affinitatem Gentium credunt, risum potius quam refutationem mereri videntur. Non pauci ex *Danis Nordmannisve* derivant Saxonas; alii aliis in terris eorundem natales sese repperisse putant; multi quærunt, sed invenire desperant, hoc nihilominus certum rati, Saxonas frustra jactari indigenas. His aliquantum dubius favet Witechindus, atque ad locum primum adplicuisse narrat, qui nuncupetur *Hadolava*. Sanè Scheringh. ex *Asia Colonias Phœnicum, seu Chananæorum, Colchorum & Trojanorum; ex Africa Ægyptiorum in Germaniam deductas* probat, variasque gentes ex ipsa *Europa* eò venisse ostendit.

Scheringh. l. c.

§. 2. Ad originationem vocis Saxonum nunc venio, diversimodè itidem tradi solitam; nonnullis, præeunte Isidoro, à *Saxis* ob feritatem & duritiem dictos putantibus; aliis à voce antiqua Sax vel Sachs (unde barbarum *Saxa* vel *Saxus*) notante teli genus, quod Saxonas frequentius adhibuisse, & ritu gladii aut pugionis ad latus appendisse constat Historicorum fide. Audi hac in parte G. I. Vossium: *Addam*, inquientem, *istud, Saxonum gentem inclytam non à latina Saxi voce nomen sortitam, tanquam durum genus, Saxum hac parte referens, sed ab bisce cultris, quos Germani Saxas vocarunt.* Approbat etiam hanc sententiam Scheringh. qui & plura notatu digna de origine vocis *Saxonum* habet. Dn. Conrado Sam. Schurztfleischio ita sentientes lepidi magis sunt, quam serii. Ipse vero ab antiqua voce Saten vel Sassen/ *indigenas* seu *aborigines* signante, dictos credit Saxonas. Alii *Saxonum* nomen *Sacis* vel *Sassonibus*, æque ac ortum, acceptum referre malunt; quos refellit Scheringh. l. c.

Isidorus l. 9. Origg. c. 11.

G. I. Vossius l. 7. de Vitiis Serm. c. 17. voce Saxa p. 284.

Schering. l. c. cap. 11.

Conrad. Sam. Schurtzfleisch Diss. de VVitekind. M. not. ad §. 1.

§. 3. Magistratum priscorum Saxonum

 quidam

quidam regia dignitate ac poteſtate polluiſſe propugnant, Alii à XII. vel pluribus; Witechindus à tribus Principibus totius Gentis Ducatum pacis tempore adminiſtratum memorant; bello autem unum præfectum, qui Regis nomine & autoritate utebatur, eo finito, Regium nomen cogebatur deponere, nec majore poſt id eminebat potentia, quam alius è juris ſociis. Joh. Micrælius hanc de Saxonum Proceribus ſententiam ſuis equidem non deſtitui conjecturis autumat; haud tamen negandum eſſe, ſuos etiam antiquitus Saxonibus fuiſſe Reges. Qualemcunque vero magiſtratum habuerint, debellati à Francis amiſerunt. *Franci enim, morem Romanorum ſecuti, omnes* (quas deviceraut) *terras in provinciæ formam redegerunt, & præcavendæ defectionis, ut & defenſionis ab hoſtibus, nec non commodioris adminiſtrationis gratia, Duces*, i. e. *ſummos gubernatores nonnullis earum præfecerunt, quibus interdum Comites adjuncti, vel etiam Comitibus provincias ſine Ducibus regendas concrediderunt*, veluti hæc docet Nobiliſſ. Conringius, atque ſimul tradit Ducum iſtorum incrementum & varie mutatam potentiam atque autoritatem. Ceterum Principum Saxonicorum paſſim meminerunt Autor, atque unius præcipue, Wernechini, ſtemma ab ima radice deducunt, ejusdemq; Adſcendentes & Deſcendentes ordine recenſent Scriptores Genealogici, quos inter operoſi Hieron. Henninges, Georg. Fabricius Chemnicenſis, Elias Reuſnerus, & Laur. Peccenſteinius, Phil. Jac. Spenerus totam iſtam Genealogiam ſuccincte exhibet. Poſt largam horum meſſem ego ſpicilegium inſtituturus multa paucis, magna parvis compleƈtar.

Joh. Micrælius Syntagm. Hiſtor. Polit. l. 3. Sect. 12. §. 13.

Conring. Arcanam. Hiſtorico-Polit. de Imper. Germ. Republ. 3. p. 82.

Henning. in Genealog. Cirt. Saxon. p. 1. ſeqq. Fabr. Chemn. in Origg. Saxon. El. Reuſnerus Genealog. Stemmata Witekind. Peccenſt Theatr. Saxon. Spenerus Syllo. Hiſtorico-Geneal. p. 10. ſ. 33.

§. 4. Wernechinus Dynaſta Angriæ, Princeps Rugiæ & Iburgi, pacis amantiſſimus, atque à bellis omni-

no

tu alienus, sec. post N. C. IIXvo, ex Chunhylda uxore duos sustulit natos, Brunonem & Witichindum. Bruno patris æmulus pariter bella abhorruit. Quippe CaroloMagno ad pacem & religionem Christianam Saxonas adducturo ipse adeo non restitit, ut potius factus Christianus Deo & Francis victoribus se & fidelem promiserit, & perpetuo præstiterit. Wittikindus vero, à rerum præclaritate gestarum cognominatus Magnus, ille in Scriptorum omniũ, quotquot de rebus Saxonicis aliquid consignarunt, monimentis Heros decantatissimus, patriæ terræ avitæq; religionis defensor acerrimꝰ, Carolo fere 30. annos, quamvis sæpies ad incitas redactus, acerrime obstitisse fertur. Tandem viribus tutoque refugio destitutus, præterea viso quodam ad religionem Christianam pellectus, supplicem Carolo invitanti se stitit, ac fidem Christianam amplexus est, posthac Dux Magnus Saxoniæ constitutus, juratæ fidei tenax perpetuoque memor. In extrema senectute bellum gessit cum Duce Suevorum (Nothardum vocat Fabricius, Geroldum Reunerus) ubi fatigatus gravitate armorum & contentione pugnæ mortem oppetiit A. C. 807. sepultus Angriæ in Basilica à se structa. Ex duabus uxoribus duos suscepit filios; ex Geva, Daniæ Regis filia Vigbertum; ex Svatana seu Svaterna Behemiæ Regis nata Witechindum II.

Vid. Mich. Sachs in der Käiser Chronic part. 5. de Carolo M. c. 8. p. 25.

§. 5. Hinc tanquam ex equo Trojano prodiisse vult bona Historicorum pars ferme innumeras Illustrissimas Personas juxta & integras Familias; Ottones videlicet Tres, Henricos Aucupem & Sanctum Impp. Romanos; Gregorium V. alias

A 3 Bruno-

Brunonem dictum, Papam Romanum; Reges Daniæ & Capetinos Galliæ; Duces Saxoniæ, Holsatiæ & Sabaudiæ, aliosque plurimos, quorum catalogum exhibet Reusnerus. Ceteris impræsentiarum missis Serenissimos Saxoniæ Duces, Majores Bernhardi Horumque eminentiam & potentiam virtute, ferro, connubiis cum Imperatorum, Regum, Potentissimorumque Principum filiabus quæsitam facilius cogito, quam verbis exprimo angustisve hisce pagellis comprehendo. Eos saltim, qui in linea Bernhardi adscendente recta locum habere hactenus crediti sunt, vulgari ordine nominare juvabit. Wittekindus junior Wittebergæ & Wethini conditor, Soraborum Burggravius, genuit Dietgremum ab Ottone agnato Saxonia exclusum (Joh. Micrælius interposito Friderico hunc nepotem demum numerat); hic Dithmarum, quem excipiunt Theodoricus I. primus Misniæ Marchio, vel, secundum alios, ipsius filius Theodoricus II. Thimo, Conradus Magnus. Otto Dives notus repertis argentifodinis, Fribergæ extructione & captivitate. Theodoricus IV. cum uxore Juditha, filia Hermanni Landgravii Thuringiæ, jus in hanc acquisivit. Eandem postea Henricus Illustris, defuncto ultimo ejus gentis Henrico, sopito prius inter se & Sophiam Brabantinam consobrinam bello ita, ut Sophiæ filius Henricus infans Hassia, Misnici Thuringia potirentur, omnino sibi vindicavit. Alberto Degeneri cum Margareta Frider. II. Imp. nata Altenburgum & terra Pleissensis obtigit,

Reusnerum subministr. demonst. Wittich. Albe Lampad. de Ref. Romano-German. part. 3. c. 5. §. 18.

tigit. **Fridericum Admorsum** celebrant bella adversus Patrem, Johannem & Woldemarum Brandeburg. duosque Imperatores Adolphum & Albertum Austriacum gesta; Jena, Neostadio aliisque locis auxit Elisabeta Arnshagia. **Fridericus Severus** Carolo IV. acceptis 10000. argenti marcis dignitate Imperiali cessit; dimidiam partem Salzensis ditionis emit; itemque cum Hermanno Comite Vinariensi & Günthero Schvvartzburgico bellum gessit, cujus hæc erat occasio. Hermannus Erfurti in ædibus dictis der Weinmarische Hoff convivium agitabat, forteque accidebat, ut Fridericus paucis stipatus comitibus urbem transiret, quem è fenestra prospiciens Hermannus mero ferox contemtim habebat, addito dicterio, ne quid injuriæ deesse videretur: Wonaus Fritze/wohinaus Fritz? Hanc injuriam tam impatienter ferebat Fridericus, ut bello vindicandam statueret. Victum cum socio Günthero Svvartzburgico capit, omnibusque ditionibus exuit Hermannum; usumfructum tamen supplici ad dies vitæ concedit. **Fridericus Strenuus** à Catharina Hennebergica uxore Coburgensem Principatum obtinuit; cum Carolo IV. Ruthenos oppugnavit, itemque Adolphum Nassovium & Erfurtenses. Sequitur **Fridericus Bellicosus**, cui, quod arma Bohemis, cumprimis in Brixiensi prælio, opposuerat, Imp. Sigismundus, præteritis Erico Duce Saxon. Infer. Ludovico Elect. Palatino, & Friderico Elect. Brandeburg. competitoribus, Saxoniæ Ducatum hactenus vagum, una cum Electorali Dignitate reddidit. Eo nomine memoria ejus apud posteritatem sacra est, quod Lipsiensem Academiam instauravit. **Fridericus Placidus** post bellum cum

Matth. Dresserus de Vrbibus Saxo. Weinmar.

cum Fratre Wilhelmo brevi compositum quiete vixit; ex Margareta Austriaca **Ernestum & Albertum**, a Conrado Kauffungo ex arce Altenburgica abductos, sed carbonariorum fide & ope liberatos, duarum linearum conditores reliquit. **Ernesto** Electoralis Dignitatis heredi successit **Fridericus III. Sapiens** Wittebergensis Arcis & Academiæ autor; B. Lutheri, qui ejus temporibus divinum Reformationis opus primum aggressus est, felix non minus quam sincerus defensor; ipsi vero, in cælibatu demortuo, frater **Johannes Constans**, illustris præcipue rusticorum seditiosorum clade ad Frankenhusam, Augustanis Comitiis & Confessione, hujusque Apologia, nec non Federe Smalcaldico. Filius **Johannes Fridericus Magnanimus** Articulos Smalcaldicos conscribi curavit, compressitque Antinomos, autore Johanne Agricola Islebio in viam revocato. Dignitatem Burggraviatus Magdeburgici & oppidum Gommern antehac Magdeburgensibus oppignorata redemit. Infelix in bello Smalcaldico capitur, capitisque damnatur, sed intercessione Alberti Brandeburgici & Mauritii absolvitur his conditionibus, ut in perpetuum Septemviratu cederet, in custodia maneret, ditiones ejus præter Gotham Mauritius acciperet. Hæc acerba captivitas utut dignitatem Electoralem & opes auferret, orthodoxam tamen religionem eripere haudquaquam valuit, neque consensum in librum Interim dictum extorquere. Post quinquennium captivitate solutus Electoris nomen & insigne in literis & moneta usurpans, mortuo Mauritio penitus sibi asserturus erat contra Augustum, Daniæ vero Rege Christiano III. intercedente arbitro, Augusto reliquit Ele-

ctora-

ctoratū, Misniā & oppida metallica, reditura ad suam familiam, si Augusti linea extingvatur. Uxori Sibyllæ prætensionem in Cliviam debet. Johannes Wilhelmus cum fratre Joh. Friderico II. Academiam nostram erexit; cum Electore Augusto colloquii Altenburgensis inter Thuringicos & Misnicos Theologos autor extitit; Galliæ Regi contra Hispanos militavit; bello contra fratrem proscriptum interfuit. Duo ex Dorothea Susanna filii duas dedere lineas, Fridericus Wilhelmus Altenburgicam; Johannes, Princeps pius & justus, pater Serenissimi Bernhardi, Vinariensem.

§. 6. Antequam colophonem huic capiti imponam, operæ pretium fuerit subjungere, quale judicium de fecunda illa Wittekindi posteritate, paragr. præced. intimata, & communi ferme consensu approbata, ferat Nobiliss. Dn. Conringius. Scilicet fabulosum esse ait, omnes familias vulgò ex Wittekindo derivatas, vere inde descendere; nominatim Reges Daniæ & Holsatiæ Duces, Reges Galliæ Capetinos & Sabaudiæ Duces frustra Wittekindi posteros jactari censet; dubitat an ab Ottonibus derivari possint ultimi. Verba ejus hæc sunt: *Est fabulosum, omnes illas, quæ hic* (in Lampadio) *memorantur, familias Witikindo esse ortas, siquidem stirpem earum masculam videat. Enimvero Daniæ Reges & Holsatiæ Duces notum est Oldenburgica Comitum domo natos; non illa antiquissima, quam nonnulli (incerta tamen fide) in Wittikindum referunt; sed altera ab Hasone Dynasta quondam Frisio Transjadano aut Statlandano Sec. XII. oriunda. In quam narrationem omnes consentiunt, ne quidem Elia Reusnero, operoso illo stemmatis Wittikindæi scriptore, excepto. Francorum porro Regum familia*

Conringius not. ad Lampad. de Rep. Romano-German. part. 3. c. 6. §. 18.

milia Capetinæ progenitorem Wittikindum nulla ferunt monumenta antiqua; sed illa quidem in omnia alia eunt, etsi nec inter se consentiant. Corbej. Wittik. l. 1. Annal. in Francia orientali natum fuisse Odonem, Hugonis Capeti proavum, scripsit Hugone M. Capeti patre & Odonis nepote adhuc superstite. Sabaudiæ præterea Duces perhibentur quidem orti ab Ottonibus. Verum & hoc perquam dubiæ est fidei; nec propterea liceat eos à Wittikindo isthoc derivare.

§. 7. Præterea Dn. Conringius ipsam quoque Serenissimorum Saxoniæ Ducum originem Wittikindæam, hactenus à plerisque assertam, in dubium vocat. Ita enim pergit: *Qui à Sigismundi Cæsaris temporibus jam fere trecentos annos Duces Saxoniæ audiunt, eorum majores jam tum ab Henrico II. sive Sancto, Cæsare, facti sunt Marchiones Misnenses, primo omnium ad illam dignitatem evecto Dedone. Hunc autem neutiquam fuisse ex Wittikindi posteris, non difficulter liquet ex iis, quæ narrat Dithmarus, Episcopus Mersburgensis, etiam ipse Illustri in Saxonibus natus genere, & plane σύγχρονος huic Dedoni, iisdemque in terris degens. Genus enim Dedonis narrans p. 71. l. 6. Chronic. edit. Reineccianæ tantum hoc habet: fuisse illum de tribu, quæ Buzici dicitur, agnatum Rigdagi Marchionis. Quicquid sit, Wittikindæa stirpe Serenissimam hanc familiam esse oriundam, saltem per est incertum, ne ipsis quidem diffitentibus Genealogicis Scriptoribus. Opera sane fuerit pretium, saltem iis, quæ Reinerus Reineccius de familia Marchionum Misnensium attexuit Ditmaro, cum cura expensis, observare, quam etiam ille in antiquis istis tradendis hæsitans, & nunc huc nunc illuc incertis conjecturis pulsus, fluctuaverit.* Sed meum non est, tantas componere lites; neq; à mea ætate, per varios Aa. unde tota hæc lis definiri debet, volitare nescia, quicquam præter recensum sententiarum exposci potest.

CAP. II.

CAPUT II.

De

Serenissimi BERNHARDI Natalibus itemq; Educatione.

§. 1.

Hactenus Dignitatem Serenissimorum Saxoniæ Ducum expositam dare volui, nec tamen digne valui. Quantuluscunque vero dixerim, non prorsus irrito conatu dictum reor, cessurum in laudem atque immortalem gloriam gloriosiss. mem. Serenissimique Celsissimi inde oriundi Principis ac Domini, DN. BERNHARDI, hujus nominis I. Ducis Saxoniæ, Juliaci, Cliviæ & Montium, Landgravii Thuringiæ, Marchionis Misniæ, Comitis Marcæ & Ravensbergæ, Dynastæ Ravensteinl &c. Principis atque Domini, dum viveret, Clementissimi. Hunc uberioribus verbis, vereor ut augustis satis & pro rei materia splendidis, prosequi suscepi,, impar equidem huic labori, firmiter tamen persvasus, quod in magnis saltim aliquid tentasse sufficiat. Nihil itaque impedimenti restat, quo minus promoveam calamum, nisi quod memorandorum & celebrandorum de tanto Principe copia obruto mihi, quid primo quidve secundo loco laudare deceat, hæret aqua. Etenim quæ Hominem, quæ Principem atque Ducem, quæ Christianum reddunt, Serenis. BERNHARDO contigisse constat. Adeo omnia in ejus felicitatem conspirasse, & à primo

B 2 origi-

originis die ad ultimum usque fati tempus ad summum beatæ vitæ cumulum perduxisse videntur. Baseos loco, cui tota felicitas tuto incumbere posit, jure meritoque collocatur à Plutarcho ἡ φύσις seu εὐφυΐα, quam Vir Clarissi. Joh. Conr. Dürrius *vivam indolem* vocat. Hæc radicata in parentibus facilius in liberis quoque plantata creditur, & virtutes parentum liberis communicari tralatitium est. Cui enim magistri ferula non incussit classicum illud Venusini Poëtæ:

Plutarch. in de Instit. Puer. *Dr. Dürrius Ethic. Paradigm. part. 2. aph. 1. p. 95.* *Horat. l. 4. Carm. Od. 4.*

Fortes creantur fortibus, & bonis
Est in juvencis, est in equis patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam?

Et quis adeo hospes est in Autorum scriptis ut ignoret *virtutes gentilitias*, quibus certæ familiæ tanquam prærogativa aliqua dignoscuntur? Sic Reges Angliæ pollere dicuntur virtute curandi elephantiasin, Reges Galliæ strumas. Quamvis equidem diversissima de hac Galliæ Regum virtute ab Autoribus ferri suffragia, quin, titulo aliud, aliud pyxide contineri, & illam curationem non virtute gentilitia, sed beneficio olei cujusdam vel balsami fieri, emunctioribus naribus subolere non nesciam. Ejusdem forte farinæ Angliæ Regum virtus curandi elephantiasin fuerit. Habeat vero has quisque virtutes, quo voluerit, loco, mihi de virtutibus alius census sollicito vix multum profuturas, modo concesserit alias in Familiis illustribus celebres. Cujusmodi sunt apud Romanos olim Scipionum *Fortitudo*, in Hispania Gusmaniorum *Bonitas*, Mendozarum *Humanitas*, Toletanorum *Gravitas*, Gyroniorum *Liberalitas*, in Germania Austriacorum *Clementia*. Sed quid extera colligo testimonia, domesticis præsentibus?

Vid. Mich. Piccart. Observat. Historico-Polit. Dec. 1. c. 7. p. 49.

Didac. Saavedra Idea Princ. Christiano-Polit. Symb. 2. p. 13. G. P. Harsdörffer im grossem Schauplatz Lust- und Lehrreicher Geschichte. cent. 2. hist. 124.

bus? Etenim *Pietatem* Serenisſ. Familiæ Saxonicæ per multa ſecula hereditariam paſſim legas, audias, quin videas maxime conſpicuam in Serenisſ. his Principibus. Exempli loco nominare ſufficit Serenisſ. ac Celſisſ. Principem ac Dominum, DN. ERNESTUM; juxtaque Serenisſ. ac Celſisſ. Principis ac Domini, DN. JOHANNIS ERNESTI maximæ indolis primogenitum Filium Principem, DN. WILHELMUM ERNESTUM, qui vivi (utinam vero diu vivant!) Ille quidem ſublime Pii **des Frommen;** Hic Concionatoris Illuſtris **des Durchlauchtigen Predigers** nomen, quod ab exequiis alioqui fama dare ſolet, jure meritoque obtinent. In virtutibus iſtiusmodi gentilitiis, Majorum præclaris factis, *quæ in antiquam virtutem animosque viriles excitant*; gloriæ, *quæ poſteris quaſi lumen eſt, nec ſinit acta eorum obſcurari*; parentum præceptis, *quibus imbuti ad eorum conſvetudinem moresque deducuntur filii*; quin Aulis, *quæ virtutes atque vitia, cum ſemel in iis cœperunt invaleſcere, per miniſtros ad ſucceſſores transmittunt*, multum tribui debere, erudite cenſet Saavedra; ſangvini tamen etiam ſuæ conſtant vires, ſatis efficaces & vehementes.

Virg. l. 3. an. v. 341. & 342. Salluſt. in Jugurth. Cic. l. 1. offic. p. 198. Edit. Rachel. Adde ſis notas Ejusd. Saavedra l. c. p. 12. & 13. itemq; Symb. 17. p. 113.

§. 2. Serenisſ. Bernhardo ſangvis depurgatus, auguſtus, divinus, per plurium ſeculorum ſeriem continuatus, communicabatur à Serenisſ. ac Celſisſ. Principe Patre DN. JOHANNE Duce Saxoniæ &c. &. Serenisſ. ac Celſisſ. Principe Matre DN. DOROTHEA MARIA, JOACHIMI ERNESTI Principis Anhaltini filia beatisſ. mem. Quæ poſt decem Filios Principes BERNHARDUM undecimum & ultimum, ſalvum & incolumem, absque omni nævo, annuente Dei gratia, in lucem edidit. Sangvis hic heroicis plenus ſpiritibus fervebat; paternarum

 (quas

(quas tribus, si recte memini, orationibus funebribus exornavit, & posteritati commendavit B. Heiderus) maternarumque virtutum igniculis & seminibus, quæ generosos in ortus exsurrexere suos, æstuabat; heroica Majorum tam paternæ quam maternæ lineæ facinora, ab Autoribus integris voluminibus deprædicata ac publica religione consecrata, indeque privata mea laudatione non indiga, stimulabant; Dignitatesque & honores ab iisdem gesti ad pares pleno cursu contendere, veluti ad nyssam, incitabant. Quam insignis igitur fuerit Serenisf. Bernhardi εὐφυΐα, quam generosa indoles, manifestum est. Multo verborum apparatu si uterer, lucem soli fenerarer.

Vid. Joann. Huartius Scrutin. Ingen. c. 17.

§. 3. Multum interest, quam patriam quis nactus sit; Athenis an crasso Bœotûm aëre sit natus. Inde in Scriptorum lectione observare est, tanti ab iisdem fieri, Romæ vel Athenis natum esse, ut in partibus felicitatis numerare non dubitent, & primum fortunæ munus & beneficium appellitent. Simonides Lyricus, vel, secundum Plutarchum, Euripides statuit, *quod beate perfectaque ratione victuro ante alia patriam conveniat esse gloriosam.* Benigna natura Serenisf. Bernhardum Vinariæ in Arce Ducali nasci voluit. Vinaria inter præcipuas Thuringiæ urbes merito habetur, antiqua, fertilis, amœna, temperati aëris, bene constituta; non minus ibi valent boni mores, quam bonæ leges. Nomen accepit à *vino*, & appellatio quidem Germanica, Weimmar/ Latinis nihil aliud notat quam *Vini forum*; inde nata, quod Jenâ multum vini eo advectum venditumque sit. Olim peculiaris erat Comitatus; sed anno supra Secul. XIII. circiter 42. à Friderico Severo, devicto Hermanno, Landgraviatui Thuringiæ adjiciebatur (ceu jam tum cap. præced. §. 5. hujus rei

Vid. Matth. Dresserus de Urbibus Germ. Weimmar. Abr. Saur part. Theatr. Urb. p. 160.

rei memini) postea sedes Ducalis facta. Arcem magnificis operibus ex parte excultam ornatamque, & suo de nomine dictam die Wilhelmsburg / undiquaque famosam reddidit Sereniss. ac Celsiss. Princeps ac Dominus, Dn. WILHELMUS, Dux Saxoniæ &c. Princeps ac Dominus noster, cum viveret, Clementissimus beatiss. mem. Frater Sereniss. Bernhardi.

§. 4. Natali solo tempus nativitatis Bernhardi subjicio, quod in Sec. hujus Ann. IV. Mens. August. d. 6. incidit, non profecto, *cum sæpe à vita natalis auspicio non vanum de fortuna hominis in rebus bellicis indicium sumatur,* sine omine. Etenim, narrante Paulo Ebero, *58. annis ante, nempe An. 1546. ipso hoc die Mechliniæ, circa medium noctis exorta sæva tempestate, de cœlo tacta est domus imperatoria, & incensus pulvis bombardicus (quem conclusum in sexcentis doliis jussi erant cives mittere in Germaniam superiorem ad bellum contra Lutheranos postea à Carolo V. gestum) circiter 700. ædes arci vicinas & templa disjecit, exussit & ultra 300. homines extinxit.* Bernhardum vere vehementissimum fulmen de cœlo adversus orthodoxæ religionis hostes missum fuisse, matura ætate eventus docuit.

Magnif. Dn. Strauchius in Diss. de Vict. & Clad. §. 4. Paul. Eberus Calend. Hist. p. 261.

§. 5. Frustra facilem naturam & εὐφυΐαν Bernhardo tributam dixi, nisi institutione & exercitatione perfectam & ad maturitatem perductam ostendam. Sicut, judice Plutarcho, μάθησις δίχα φύσεως ἐλλιπής; ita ἡ φύσις ἄνευ μαθήσεως τυφλόν; ἄσκησις seu exercitatio toti negotio ultimam imponit manum. Certe naturam non inepte quis parallelogrammo comparaverit, cujus latera, modo huc, modo illuc flexilia, angulos nunc rectos, nunc obliquos faciunt; institutionem vero seu doctrinam & exercitationem diagonalibus, quibus figuntur parallelogrammi la-

Plutarch. in de instit. puer.

tera-

tera, ne recedant angulosve mutent. Pariter enim naturam, ceream flecti, institutio & exercitatio confirmat. Hinc itaque totius vitæ cursus, mores & actiones dependent, ut institutioni & exercitationi hac in parte primæ, secundæ tertiæque jure meritoque deferantur, quas secundum Demosthenem in Rhetoricis tenet pronunciatio. Ut autem navis hæc in portu naviget, sedere in puppi clavumque tenere oportet prudentem nauclerum, ut iterum Plutarchus id omnium maximum & maxime præcipuum judicet, quorum judicio, autoritate & vigili inspectione liberi instituantur & exerceantur. Parentum, qui liberos, teste Philosopho, ut aliquid sui amant, fides tutissima est, curaque probatissima. Quamvis vero Bernhardo hac in parte Corinthum adire non omnino contigerit, Serenifs. ac Celsifs. Dn. Parente A. C. 1605. 31. Oct. cum puellus Princeps anni secundi primum quadrantem nondum implevisset, immatura morte in cœlum sublato; nequicquam tamen hoc Ipsius virtuti & institutioni fraudi aut dispendio fuit, Serenifs. Dn. Matre, atque postquam Ipsa quoque Ann. 1617. beatè vita excessit, Serenifs. Dn. Fratre Seniore JOHANNE ERNESTO, g. m. ad se devolutam hanc spartam egregie ornantibus, itemque datis tutoribus CHRISTIANO II. & post hunc JOHANNE GEORGIO S. R. I. Archimareschallis & Electoribus, Ducibus Saxoniæ &c. Patris partes explentibus. Educationem itaque & respectu corporis, cujus prior, & respectu animi, cujus potior ratio habenda, egregiam heic deprehenderis. Corpora infantum, ut justam *κρᾶσιν* nanciscantur, sedulam & accuratam requirunt operam, cumprimis vero convenientem & rite coctam lactis alimoniam, purius & salubrius ex matris, quam nutricis, uberibus flui-

Vid. Joh. à Chokier Thesaur. Polit. l. 1. c. 10.

Aristot. l. 8. Eth. Nicom. c. 12.

fluidam, ut hinc tota Politicorum cohors, ut matres suis uberibus liberos alant, cum Plutarcho suadeat. Certe; si ob prægnantes rationes hoc suo officio mater defungi nequeat, saltim circumspecte se gerere debet in eligenda nutrice, ut quam minime lasciviæ, spurcitici, ceterisque vitiis obnoxia sit. Hoc vero in nutrice, cui Princeps noster credebatur, apprime requisitum fuisse, neminem ambigere sinit Serenis. Dn. Matris prudentia atque sedulitas. Reliqua Ejusdem ab uberibus nutricis remoti alimentatio pariter & justa & Principe nunquam indigna fuit. Sed plus ultra. *Exercendum est corpus, & ita afficiendum, ut obedire consilio rationique possit in exequendis negotiis & tolerando labore.* Neque excluduntur ab hoc Tullii præcepto Principes, *qui si molliter & velut in capsula educantur, ut nec sol, nec ventulus, nec alia ad illos aura, præterquam odoramentorum possit pertingere, delicatuli fiunt, & ad gubernandum minus idonei; contra qui laboribus solidis exercent corpus, decentem, cui multum venerationis inest, staturam & συμμετρίαν sibi comparant, fiunt robusti ac habiles & ad togam & ad sagum gerendum.* Hinc a veteribus varias institutas legimus exercitationes, quas collegit Hieron. Mercurialis, & Theod. Zvingerus multas refert illustres personas ejusmodi exercitiis operam navantes. Hodierna nostri temporis exercitia recenset Georg. Gumpelzhaimer. Bernhardus teneris statim annis prout eulcitras & deliciarum usus aversatus bellicis rebus admodum delectari cœpit, & excelsæ indolis manifestissima indicia proferre, indefesso studio talismodi exercitiis incubuit, quibus membra confirmari, & corpus ad bellum bellicamque virtutem præparari sperabat, primum quidem domi, post in Aulis Coburgensi & aliis, itemque in Batavia, Dania & Gallia.

Ant. de Guevar. Horolog. Prin cip. l. 2. capp. 23. 24. 25. 26.

Cic. l. 1. Offic. p. 118.

Saavedra l.c. Symb. 3.

Hier. Merc. de Arte Gymnast. Theod. Zving. Theatr. H. V. Volum. II. l. 6. Vol. VII. l. 3. Vol. XXI. l. 3. & 4. G. Gumpelzhaimer Gymnasm. de Exercit. Acad.

§. 6. Amico culturæ commercio conspirant animus ac corpus: hoc si suum decus nanciscatur, nec animo suum vel impedit vel invidet. Corpus si juste tractatum ac formatum sit, animus facilius virtutibus, optimis moribus, scientiis & artibus imbuitur. Hæc homini absolutionem perfectionemque largiri, atque id propter ab omnibus omni studio consectanda esse, maxime à Principibus viris, quos ipsa natura præ ceteris eminentes esse voluit, dubitatione caret. Gladius Delphicus sunt, quem nisi teneat Princeps, nec togæ nec sago satis aptus est. Multis equidem hoc sive fel sive splenem movet; alii tamen, queis de meliore luto Titan præcordia finxit, virtutum ac scientiarum præstantiam intelligunt, magni æstumant, commendant. Liceat ex subjectissima veneratione Sereniss. ac Celsiss. Principis ac Domini, Dn. BERNHARDI II. Ducis Saxoniæ &c. Principis ac Domini nostri Clementiss. judicium sapientissimum ex Panegyrico, quem olim depositis fascibus Academicis, immortali cum gloria gestis, An. 1654. 6. Id. Nov. in æde primaria nostræ Salanæ memoriter recitavit, in medium afferre: *Literarum summam in Republica esse utilitatem, adeo omnium seculorum experientia innotuit, ut sine iis ne ipsa quidem arma (ut reliqua taceam) & armorum jura consistere sapientissimus Regum Alphonsus quondam agnoverit. Et profecto plebejis argenti, Nobilibus auri, Principibus gemmarum loco illas esse jure optimo cum Ænea Sylvio dixerim. Quippe quæ & temporum & locorum & ætatum sunt omnium; quæ studia adolescentiam regunt & senectutem oblectant; quæ secundas res ornant, & adversis perfugium præbent & solatium; quæ delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur.*

Quarum

Quarum scientia totum illuminari mundum, & ad obediendum Deo & hominibus animos hominum informari Sacratissimus censuit Imp. in authentica habita: ne filius pro patre. Patruus Sereniss. Bernhardus I. à teneris usque annis sincero, quem natura ingeneraverat, virtutis & scientiæ amore flagrabat, parandæque occasionem, quam larga manu fortuna congesserat, cupide amplexabatur. Puer etiamnum à puerilibus ineptiis alienissimus, aurea Sereniss. Dn. Matris & Moderatorum monita meditabatur & rimabatur; plebejas opiniones, quas Principi puero omni cura eximi jubet Erasmus Roterod. exosus, patientem commodabat aurem eruditis ac Principe dignis rationibus; salutaribus præceptis veluti pharmacis pectus præmuniebat, ut in Aulis splendidissimis unice praclare facta & virtutes observaret, juxta ac imitaretur. Scientias ac artes se dignas sollicite & magna cura excoluit. An. 1619. venit in hanc Academiam Salanam, ubi viget literarum nomen & decus, ac tanquam in novo Helicone aut Parnasso sedem suam fixisse videntur Musæ, florentibus tum inter ceteros Dnn. Profesl. *Johanne Gerhardo, Ortholpho Fomanno, Dominico Arumæo, Wolff. Heidero & Thoma Sagittario,* Viris virtute, pietate & eruditione undiquaque celeberrimis. Cicero ad filium, Athenis audientem Cratippum, scribit, *abundare oportere praceptis institutisque Philosophiæ, propter summam & doctoris autoritatem, & urbis; quorum alter ipsum scientia augere possit, altera exemplis. Agricolam,* adserente Tacito, *arcebat ab illecebris peccantium præter ipsius bonam integramque naturam, quod statim parvulus sedem ac magistram studiorum Massiliam habuerat, locum Græca comitate & provinciali parsimonia mistum ac bene compositum* Bernhardum strenuum virtutis amatorem

Erasmus Roterod. Instit. Princ. Christ.

Cic. 1. Offic. p. 2.

Tacitus in Agric. c. 2.

torem

torē ac sectatorē in tam Ill. Academia inter tot celebratissimos Viros absq; industria & sine fructu fuisse quis dixerit?

§.7. Posthæc peregrinas adiit terras, vixitque (ut jam ante insinuatum) A. 23. & 24. in Batavia, A. 25. 26. & 27. in Dania, A. 28. & 29. iterum in Hollandia, Gallia & Anglia cum insigni profectu prudentiæ, nascentis maximam partem experientia, quæ variis in terris varia obtingit.

Scilicet haud una capitur sapientia sede,
Sed variis terris quæritur atque locis.

Equidem qui secum peregrinantur, aërem solum mutant, non animum; scandulas tectorum & cacumina turrium in urbibus numerant: quæ vero Remp. attinent, negligunt, atque ita temporis irreparabilis jacturam faciunt, marsupio & fundo calamitatem inferunt; quin ipsi sæpe pereunt, & cum Ulyssis sociis in canes immundos vel amicas luto sues immutantur, ut hinc omni jure peregrinationis abusum culpet præter innumeros Politicos Generosiss. & Illustriss. Dominus, Dn. Henricus de Limpurg, S. R. I. Vicepincerna. Verum Bernhardus providus peregrinas terras & mores hominum inspexit, Rerump. statum pensitavit, regiones lustravit, cumprimis castella observavit, & plerorumque picturas paravit; obsessioni munitissimæ in Brabantia urbis Sylvæ Ducis interfuit; quidvis aliud in itinere obvium notatuque dignum curiose attendit. Semper inter arma ac studia versatus, aut corpus periculis, aut animum artibus exercuit. Ea præcipue cura sollicitum tenebat, Viros summos & illustres noscere, iisque familiariter uti, unde in optimam partem cognoscebatur, & opinionem adferebat omnibus, eorum fore se similem, quos sibi delegerat ad imitandum. Dictis itineribus non longinquitate, sed dignitate & utilitate com-

Illustriss. Dn. Henricus de Limpurg. in Thesauro paterno in usū Filii collecto.

Cic. 1. Offic. p. 316.

comparandum omnino est, quod ad Conventum, quem Protestantes Ann. 1631. Lipsiæ agebant, cum Sereniss. Dn. Fratre Seniore WILHELMO suscepit Bernhardus, ut, quid rerum ibi ageretur, penitius inspiceret, &, quæ formarentur consilia, intelligeret. Non etiam silendum, neque sine laude dicendum eximium Teutonicæ, Latinæ, Gallicæ, vivarum hujus Sec. lingvarum, & eloquentiæ studium. Sciebat Princeps sine ipsis neq; Remp. gubernari, neque exercitum duci posse, sæpe etiam plus iisdem quam armis à præstantissimis Ducibus, Alexandro M. Julio Cæsare, Agricola, aliisque præstitum esse. igitur mature ad cultum ipsarum animum applicabat, nec destitit, nisi integra cognitione instructus.

§. 8. Primo loco quod debuisset commemorari, nunc subjungo, Principem nostrum divina Supremi Numinis benignitate Christianum, ac regni cœlestis, omniumque æternæ felicitatis consequendæ mediorum affatim participem esse factum. Die XIVto post nativitatem, qui erat XIXnus August. sacris baptismi undis tinctus spiritualiter regenerabatur, & in Ecclesiam, extra quam nulla salus est, cooptabatur. Sacræ inaugurationis testes invitabantur Principes, Comites & aliæ Illustres Personæ, juxta morem antiquum ab Hygino Episcopo Rom. (ut vulgo tradunt) Sec. post C. N. IIdo constitutum, certe seculo III. jam receptum, & apud nos merito retentum. Prout etiam in nostris Ecclesiis mos viget, ex V. T. ubi in circumcisione, in cujus locum successit baptismus, nomina imponi consueverunt, traductus, in solemni illa panegyri Princeps nomen BERNHARDI primus in sua familia sortiebatur. Quia enim ex Sereniss. Dn. Matris Majoribus nonnulli, & unus ex Fratribus Ejusdem, Principes Heroës

Virg. Polyd. l. 4. de invent. Rer. c. 4. Gerh. van Mastricht in Schediasm. de Susceptoribus, &c.

roës virtutis ſpectatiſſimæ hoc nomen obtinuerant, Sereniſs. ac Celſiſs. Parentes Filiolum Principem idem habere voluerunt, ut non minus nominis quam ſangvinis communitas ad virtutes calcar eſſet. Ipſum quoque nomen, propter inſitam ad virtutes impellendi vim, boni ominis & commatis eſt. Quippe, fide Grammaticorum, *Bernhardus* nihil notat aliud, quam *fortem ceu leonem*, Einen ſtarcken wie ein Bär. Talia vero nomina quæ pietatis admoneant, fidei, conſtantiæ aut alius virtutis, imponenda eſſe, recte cenſet Benedictus Aretius; in hoc autem frustra ſuperſtitioſus, quod nomina animalium brutorum ad homines transferri impium exiſtimat. Videſis Wolfgang. Heiderum. Simulac eo ætatis proveheretur tenellus Princeps, ut rationis uſus ſeſe exereret, prima ſtatim rudimenta orthodoxæ religionis, Scripturæ S. invariatæ Auguſtanæ Confeſſioni, & Concordiæ, ceteriſque Symbolicis Libris conformia, Ipſius pectori, veluti molli ceræ, imprimebantur, juxtaque præcepta pietatis, amoris ac timoris erga Deum, itemque charitatis erga proximum inſtillabantur. Adultior factus indefeſſo ſtudio cœpit ſacra Biblia evolvere, ſacroſancta myſteria inveſtigare & plenius ſcrutari, precum & alios ſacros libros frequenti manu terere, conciones audire, ſacra frequentare, magiſtros conſulere, nihil omittere, unde ſanæ doctrinæ notitiam & pietatis inſtitutionem haurire poterat.

Zach. Prætor. im Nahmenbüchl. part. 1.

Ben. Aretius Probl. part. 2. Loc. 79. p. 958.

Wolfg. Heider. Orat. 1. de Vulp. Scholast. p. 7 seqq.

CAP. III.

De

Ingreſſu in militiam & ad ſummum faſtigium progreſſu.

§. 1. Pa-

§. 1.

PAtriæ natus, patriæ educatus, totum ſe eidem dedit Bernhardus ſollicitus non ſolum ut in quiete prudenter eam regeret, ſed etiam maxime ut ab injuriis adverſariorum tueretur. Igitur pacis artes edoctus, Marti ſe addicit, &, quas hactenus ſaltim ex libris cognoverat, militares pariter atque imperatorias quoque artes in ipſis caſtris & acie diſcere incipit juvenis, ætatis anno XVIImo, ſeculi XXImo. *Incipiens enim pubertas ad militiam idonea maxime eſt; non enim tantum celerius, ſed etiam perfectius imbibuntur, quæ diſcuntur à pueris.* Prima caſtrorum rudimenta Sereniſs. ac Celſiſs. Principi ac Domino, Dn. Wilhelmo, Fratri beatiſs. mem. tum legionis pedeſtris in exercitu DN. Georgii Friderici, Marchionis Bado-Durlacenſis, Duci adprobavit. Ipſe tum, exemplo Julii Agricolæ, *noſcere provincias, noſci exercitui, diſcere à peritis, ſequi optimos, nihil appetere ob jactationem, nihil ob formidinem recuſare, ſimulque anxius & intentus agere.* Cohorti peditum primitus præfectus, gradibus ab infimis ad ſummas adſcendere dignitates geſtiebat, idque maxime conſultum judicabat. *Ducem enim illum optimum videri, qui minores militiæ gradus emenſus ſit*, placitum Politicorum eſt, & Johannes à Felde adfirmat *requiſita Ducis boni in iis præcipue reperiri, qui initio gregarii milites per ſingula officia progreſſi ſunt.* Nec ſine ratione. *qui enim bene imperare velit, paruerit aliquando neceſſe eſt; & qui modeſte paret, qui aliquando imperet, videtur dignus eſſe.* Poſtquam Bernhardi virtus in certamine prope Wimpinam probata eſſet, in paulo altiorem militiæ gradum evehebatur, & turmæ equitum præponebatur. Non diu poſt ſacramento militari à Marchione ſolutus, arma in occaſionem commodiorem differebat.

§. 2.

Vegetius de Re Milit. l. 1. c. 4.

[illegible]

Vid. Piccartg Obſ. Hiſtorico-Polit. Decad. 10. c. 5.

Joh. à Felde Elem. Jur. Univ. p. 1027.

Cic. 3. de LL.

Ariſt. l. 7. Polit. c. 13.

§. 2. Igneus vigor & cœlestis origo, arma deposita mox ut resumeret, stimulabat; gloria & fama, ad quam, post Dei gloriam, Principibus præcipua rerum dirigenda, subito otii pertæsum in pugnas trahebat. Ann. 23. Dn. Christiano Duci Brunsvicensi cum 1000. peditibus sacramento se obstrinxit. Circa finem hujus, & partem sequentis anni cum cohorte 400. peditum, à Federatis Belgii Ordinibus sibi commissa, urbem Daventriam custodiebat. Annis 25, 26, & 27. Regi Daniæ Christiano IV. cum legione 200. equitum militabat, tanta alacritate & fortitudine, ut Rex regio diplomate publicisve literis tot ejus labores resque suis auspiciis gestas oblivioni eximeret.

Tac. Annal. l. 4. c. 6.

§. 3. Sed eheu! terras Protestantium Evangelicorum, Liga, quam vocabant, Catholica invadit, occupat, diripit, forte haud justiori titulo, atque olim Darius prætexebat, *si hostem esse Atheniensibus, quod eorum auxilio Jones Sardeis expugnassent, suaque præsidia interfecissent.* Revera autem religio & regio erat illa ipsa Helena, quam petebant Catholici. Misera tunc facies terrarum Evangelicarum, auxiliis destitutarum. Federati Protestantes in Conventu Lipsiensi fortius adhuc pro libertate loquebantur, quam pugnabant. Supremo Jehovah, qui Gideonem contra Midianitas & Amalekitas, Simsonem contra Philistæos, Davidem contra Goliathum, Judam Maccabæum contra Antiochum exsuscitavit, nec Lutheranos funditus extirpari passus; produxit A. 31. ex Svecia Heroëm & Defensorem GUSTAVUM ADOLPHUM glor. mem. Seren. Bernhardus, qui patriam vinci, in servitutem redigi, & falsa doctrina fœdari non poterat ferre, omnique ad liberandam ferebatur cogitatione, jam

Corn. Nep. Miltiade c. 4.

occa-

occasionem commodam nactus, confestim operam suam Gustavo Adolpho, juxta Werbenam in Marchia castrametato offert, & calidum regionis ac religionis avitæ amore pectus hosti oppositurum se sancte jurat. Annuit Rex, ac initio statim Ducem legionis equestris, quæ custodiam Regii corporis ageret, constituit; iniqvum ratus, *eum bonori nondum tempestivum videri, qui jam virtuti maturus fuisset.* Bernhardus Dux tanta moderatione & promtitudine erat, ut non solum de eo bene sperare, sed etiam confidere Rex posset, talem futurum, qualem cognitum judicavit; ideoque proximo anno 32do. d.17. Apr. publico diplomate Regii Peditatus Dux Generalis renunciatus est, magno documento, *quod virtutis premiũ uberrimum sit bonos.* Nec utilitate carere virtutem expertus est Bernhardus, Heidelbergæ A. 33. à Regni Svecici Cancellario Axelio Oxenstierna Dux Franconiæ nuncupatus. A. 35. Wormatiæ à Regno Svecico & Federatis Statibus Protestantibus Dux copiarum summus creabatur, confirmatus quoq; Veroduni à Rege Galliæ Ludovico XIII. postquam cum Ipso, detrectata pace Pragensi, fedus pepigisset. Quanti alias Seren. Bernhardum Gallia æstimaverit, indices sunt magnifici in Ipsius honorem apparatus, faciles ad Regem aditus, felix expeditio, & nulla non, quibus exceptus fuit, gratiæ ac benevolentiæ genera.

§. 4. Hoc itaque ultimum honorum militarium fastigium, quod virtus Bernhardo adsignavit; hoc summum imperium militare, quô dignissimus ceteris imperabat; hæc arma, quæ prudenter & strenue gesta esse, nec Adversarii negant, quod juste pariter, probant Nostrates. Meam quidem falcem in hanc messem immittere, nefas est; videantur vero *Curriculum Vitæ Ejusdem sub fin. Vindiciæ*

D

dicia Gustaviana, sive, Expeditionis Serenissi. atque Invictiss. Svecorum ac Gothorum Regis Gustavi Adolphi glor. mem. in Germaniam pro Religione & Libertate suscepta brevinscula defensio cum annexa quarundam objectionum concisa resolutione, ab Anonymo quodam A. 1634. edita; Hieron. Kromayerus Orat. Paneg. de Bello Tricennali Germanico &c. in templo Academico Lipsiensi A. 1650. d. 22. Jul. publicè habita. Huc etiam faciunt quæ habet *Hortlederus apud Goldastum in Polit. Imp. part. 31.* Quod vero Autor Anonymus Epit. Rer. Germ. ob recusatam pacem Pragensem procaci ore in Bernh. invehitur, & oggannit, *oblatum & Vimariensi gratuitũ ad sua reditum; sed spem vanam fuisse, cum qui pacem belli amore exuerat, bellum pacis caritate depositurum;* fulgur ex pelvi, nec magni æstimandum est. Quas ob causas in pacificationem Pragensem non consenserit Serenisſ. Bernhardus, honestam vero & æquam quam cupide semper exoptaverit, Ipse edissertat in responsoriis datis Neoburgi ad Rhenum d. 18. Aug. A. 1638. ad Serenisſ. ac Celsisſ. Dnnn. Fratrum, Dn. Wilhelmi, Dn. Alberti, & Dn. Ernesti literas de pace pangenda. Habentur illæ literæ in Theatro Europæo, cujus copiam *Vir. Magnif. Dn. D. Schröterus Pandectarum P. P. Celeberrimus, Dominus Patronus ac Promotor omni observantiæ cultu suspiciendus,* ex singulari benivolentia mihi fecit, quod non possum non publice grata mente fateri.

Autor Epit. Rer. Germ p. 142.

Theatr. Europ. Tom. IV. p. 15. & 16.

Caput IV.

De Heroicis Virtutibus.

§. 1.

PRævium caput Bernhardi virtutum palæstram exhibuit, castra & militiam, in quibus non minus ac in urbi-

urbibus fides pietasque habitare & solet & debet; nunc igitur ipsas celsissimas Virtutes sistam, ante tamen corporis habitum, *cujus sæpe virtus delectum habet,* lustrandum daturus. Justam & decentem staturam fautrix natura Bernhardo tribuerat. Membra viva ac vegeta, langvoris morborumque expertia, apta compositione moventia oculos, ac delectantia hoc ipso, quod inter se omnia cum quodam lepore consentiebant. Coruscabat ex vultu Ipsius dignitas virilis, quæ virtuti suum addit suffragium; formæ dignitatem coloris bonitas, colorem exercitationes corporis tuebantur. Facies & capilli fusci signum animi fortis erant.

Arist. l. Pol. c. 5.

Cic. l. 1. Offic. p. 178. & 216. Saavedra Id. Princ. Symb. 3.

Anton. de Guevar. Hor. Princ. l. 1. c. 41. p. 174.

§. 2. Hoc jam corpore armatum Bernhardi animum vitæ stationem novimus peregisse, humanorum vitiorum incursus à se invicta pugna repellentem, justosque virtutis numeros altitudinis suæ sinu clausos custodientem. Tantas virtutes panegyrico prosequi mihi non sumo; summos saltim apices à Viris clarissimis justo encomio ornatarum nominabo, quia animadverto futurum, ut pondere laudis, quam meruerunt, obrutus, magis ingenii mei imbecillitatem detegam, quam ipsas, sicuti par est, repræsentem. Veluti radix omnium virtutum, Ipsius pectori infixa hærebat religio, & Supremi Numinis timor pariter ac amor. A sana doctrina nec novercantis fortunæ procellæ, nec blandientis illecebræ dimovere eum poterant. Æterna beatitudo pluris erat, quam cumulus reliquorum bonorum omnium. Deum pie venerabatur, Jesum Salvatorem sperabat, ejusdem nomen dulcissimum, meritum efficacissimum æstimabat. Purum Bernhardi os à pejerationibus & profano Divini nominis abusu; vacuum pectus peccandi consilio; de admissis peccatis anxium; de remissione ac gratia divi-

D 2 na

na sollicitum. Publicis non modo sacris suum vigorem & observationem constanter reddidit; sed etiam statas horas privatis precibus consecravit, mane & vesperi in conclavi sine ullis arbitris, ne vel impedirent, vel hypocritam putarent, in genua prostratus, manibus erectis tam ardenter orans, ut, qui procul audiebant, in admirationem verterentur. Omnium negotiorum, ac maxime instantis pugnæ, initium à Deo fieri voluit, sacras cærimonias frequentando, milites ad preces hortando, nomen Jesu in media pugna ingeminando. Divino ita munitus præsidio, fortiter contra hostes stabat, in prima acie pugnabat, consilio dux, manu miles; in densissima hostium agmina, nequaquam ex temeritate, sed divino, ut credi par est, impulsu & heroico impetu sese ingerebat; inde non tantum sospes, verum etiam victor redibat. Mortis, cujus metus ceteros exanimat, perpetuus illi contemtus; periculorum pulcerrimorum susceptio; fortitudo excellens & communem sortem excedens. Temperantia sancta, luxuriæ & pravæ libidinis expers. Liberalitas eximia erga exules, pupillos, viduas & pastores. Manus Bernhardi apertæ erant, vultus serenus, à quo nemo facile tristis abiit. In tot ac talibus istorum temporum adversis non modo Principis animum, sed & parentis affectum præstitit; nunc consolando, nunc opitulando, quatenus suppeteret facultas. Pro justa causa sangvinem & opes profundere non verebatur; florentibus nequaquam lucri spe ductus se venditabat. Gloriæ & famæ cupido moderata; fastus nullus; gloria Dei & salus patriæ factorum scopus præcipuus. Injuriarum & calumniarum magnanimo contemtu vindex; adulatorum osor; bonorum quorumcunque defensor. Insignis erga amicos benigni-

tas;

tas; erga milites benivolentia; comitas non sine severitate, neque gravitas sine facilitate. Clementia non solum in suos, sed etiam in victos; amicis tamen manibus cum eadem juncta justitia. Ad præmia velox, ad pœnas tardus, justitiæ fulmine feriendo unum, multis minitabatur. Semper Eidem æqui ac probi respectus religiosa cum observatione versabatur ante oculos; cupiditas rationi cedebat; nihilque utile, quod parum honestum videri poterat, ducebat. His virtutibus veluti regina præsidebat incredibilis prudentia; animi sagacitas acris; scientia rei militaris summa, eloquentia haud vulgaris. Ut paucis dicam, tantis adornatus erat Bernhardus virtutibus, quantas fere perfecta & natura & industria mortalis conditio recipit. Suos etiam habuisse nævos, erroribusque ac peccatis obnoxium fuisse, nemo negaverit; Ipsemet confessus est & doluit. Homo fuit utique; humani ergo nihil ab ipso alienum putandum est. Attamen sicut maculæ solares solem non obnubilant, nedum ejus lucem destruant: pariter nec errata, ex imbecillitate commissa, & ab humana conditione post lapsum in hoc mundo separari nescia, Bernhardi virtutem obscurare possunt. Quæ vero A. Anon. Epit. Rer. German. hinc inde objectat vitia, temeritatem, ferociam, crudelitatem, injustitiam, ex odio haud obscuro ipsum effinxisse apparet. Igitur quo minus *A. Anon. Epit. Rerum Germ.* Beatus, Heros, Dux summus salutari debeat, nihil impedit. Cum excellentissima virtute, cui alias inimica esse solet, fortunam etiam junctam habebat, nunquam pene, nisi semel in prælio Nordlingensi, ab eadem desertus. Fama non minus, quam armis, hostes concussit. Magna apud suos auctoritas, qua omnium oculos in se convertebat, ut nemo par ei poneretur. Omnes in Ipso

 & spem

& spem habebant maximam & timorem. Nec minor benivolentia, ut difficile esset intellectu, utrum eum magis vererentur, quam amarent tam milites, quam, quibuscum ei res erat, reliqui.

CAPUT V.

De

Rebus gestis.

§. 1.

SPlendidissimas Bernhardi virtutes, cedro & aere dignas, paucis lineis praeced. cap. exarare allaboravi; nunc actiones & res praeclare gestas strictim saltem referam. Ne vero, quod dicitur, extra oleas mea feratur narratio, tres constituam classes, quarum

I. sistat certamina vehementiora.

Theat. Europ. tom. II. p. 746. 47. 48. 49. Bogisl. Phil. à Chemn. (quē ex benevola communicatione Excell. & Nobiliss. Dn. Bosii, Patroni atq; Praeceptoris colendissimi inspicere licuit) part. 1. Belli Suec. in Germania gesti l. 4. n. 57

§. 2. Lutzenense praelium cum Wallensteinio Anno 1632. 6. Nov. commissum, primum occupet locum. In hoc, Duce summo, ipso potentiss. Rege Sueciae Gustavo Adolpho, Sereniss. Bernhardus sinistro exercitus cornu primitus praeerat; mox exsangvi Rege (heu! triste dictu) totius pugnae summa ad Ipsum devolvebatur. Quid mirum, si lymphaticus pavor ordines dissipasset, stravissetque inde ruentes equos virosque improvida fuga? Quantum enim

- - - urget praesentia Turni;

tanto, cum

- - - - incidit ictus
ingens ad terram duplicato poplite Turnus,

con-

consurgunt gemitu Rutuli, totusque remugit
mons circum, & vocem late nemora alta remittunt.

Cædes profecto Goliathi Philistæos, Saulis Israëlitas in fugam conjecit. Sic cum in pugna Romanorum cum Vejentibus *Q. Fabius princeps, incautus inter multas versans hostium manus, caderet gladio per pectus transfixus, sensit utraque acies unius viri casum; cedebatque inde Romanus*, teste Livio. Bernhardus heroico plenus spiritu, dissimulato periculo, peritissime aciem instruxit, & magno consilio mortem Regis contemsit, cum in ipsa acie summum videret esse discrimen. Milites voce docta & ad victoriam efficaci hortatus: *quod in dextris suis nunc libertatem, opem, spem futuri temporis atque puræ religionis gererent*; Ipse acerrime præliari cœpit; *quo facto fortitudinem per totum exercitum diffudit, labentemque belli fortunam divino animi ardore restituit*, ut Wallensteinius fugam pararet, confestim accelerandam, ni Pappenheimius Halâ Saxonum reversus correxisset, & Bernhardum ereptis aliquot tormentis inhibuisset. Dubiam hucusque victoriam, constantem sibi tandem devinxit constans Bernhardi fortitudo. Tormenta & multus commeatus recuperabantur; Pappenheimius lethale vulnus accepit; Wallensteinius, cum obscura luce fuga tutior videretur quam pugna, cum toto agmine abiit. Fugientes, quod in illo ardore animi vix credi potest, prudentius, si Saxonicus & Lunæburgicus miles accessisset, quam avidius persecuturus, nocte ea in pugnæ loco substitit victor Bernhardus. Milites solatus, *vulnera, quæ quisque excepisset, virtutis indicia futura*, pro concione laudavit, *quo promtioribus animis reliqua belli munia obirent*. Croatas illucescente die impedimenta sua relicta erepturos præcipiti fuga

Matth. Lungwitius tract. von Hertzog Bernhards Helden-Thaten. cap. 4. *Adolph. Brachelius Hist. sui temporis l. 4. p. 216. 17, 18, 19.*

fuga abegit. Subſequo die præcipua Regii cadaveris quærendi cura ſollicitum tenebat, ut ſplendida atque Rege digna honoraretur ſepultura inventum. Perditi in hac pugna utrinque feruntur 9000. quos inter ex Cæſareanis præcipui Abbas Fuldenſis infelix pugnæ ſpectator, Pappenheimius, (qui ſtrenuus Dux centum cicatrices ſecum abſtuliſſe dicitur) Bertholdus Wallenſteinius Ducis cognatus, Duces Lau, Weſtrumius, Breda, Taheim, Lambertus, Cammerhoff &c. ex Suecis præter Regem Islerus, Gersdorffius, Nicolaus Brahe Comes Wiſingsburgenſis. Sereniſs. Bernhardus etiam non omnis expers periculi glandis plumbeæ impetu pileum amiſit. Talem vero ſe Imperatorem præbuit, ut omnibus eo tempore adparuerit, ab IpſoLutheranorũ res valde adjutas fuiſſe. Lutherani vero utut metu hoſtis & periculi liberati eſſent, cuncti tamen acerbo Optimi Regis caſu mœſti torpebant; pluresque dolentium quam ovantium voces exaudiebantur. Contra Catholici mortem Regis ſuam victoriam interpretati feſtis ignibus & triumfali apparatu illud prælium celebravere.

Theatr. Europ. Tom. III. Chemnitz, part. II. Belli Suec. l. 2. c. 40. 41. 42. 43. Georgius Engelſüsſius (quem utendum dedit pl. Rev. atque Excellentiſſ. Dn. Georgius Gözius, Patronus ac Promotor cum obſervantia nominandus) libell. quem vocat Weinmariſchen Feldzug *p. 33. 34. 35. 36. 37. Brachelius l. 1. p. 240. 241.*

§. 3. Tam proſperas tamq; inopinatas Bernhardi res cõſecuta eſt triſtis mutatio in pugna juxta Nordlingam, obſidione liberandam, A. 34. pugnata, quod *fortuna ſua mobilitate, quem ante extulerat, demergere paulum eſt adorta.* Summus adverſariorum Dux Ferdinandus, Imp. Romano-Germanici filius, tum temporis Rex Hungariæ, poſt ipſe Imperator, ejus nominis III. circiter 40000. in aciem produxit. *Fluctuare quidem animo Bernhardus & ſeria æſtimatione rem perpendere; quippe eo veniendum erat, unde reduci exercitus niſi victor aut ſine clade non poſſet. Movebat*

vebat ipsum multitudo hostium respectu paucitatis suæ; in diversas plane partes distrahebant exoritura apud Status Fœderatos suspiciones, nisi suppetias urbi extreme periclitanti ferret, metusque ne desperatio suis militibus cresceret. In hoc æstu periculorum tutissimum visum est, omnibus viribus decernere, & aut vincere, aut victum officio fideique satisfecisse. Igitur supplicibus & ardentibus suspiriis vires cœlo deducere; sacra celebrare; hortari invicem atque aures animosque ferire; *nam si finis vitæ adsit, in quo tandem opere melius extingvi possint?* Cœpta fortuna levibus primum tentari conflictibus adspirabat Bernhardo; sed, quod sæpe usu venire solet, *eventus prælii inter initia contra illos magis erat, quibus victoria debebatur.* Posthac enim ad votum pugnantibus Cæsareanis & palmam tandem reportantibus misere succubuere Sveci. Colliculum quendam, planitie tutiorem, 26. Augusti. irrito conatu occupare contendebant; nec melior sequentis diei successus; quin mille milites vi pulveris pyrii in aërem excutiebantur. Neque etiam, cum hac non succederet, alia rem aggredi via licebat; urbive obsessæ præsidiarias aliquot cohortes immittere. Præterea ordines in sinistro cornu turbari, machinæ hostium tormentariæ horrendum fulminare, ut equites dissipati fugam capesserent. Pedites vero densissimis hostium, maxime Croatarum, agminibus circumfusi, ad ipsorum satietatem inulti, quod miserrimum fortibus viris erat, ferarum ritu velut in fovea deprehensi cædebantur, donec Ferdinandus parcendum ferro diceret. Nimirum

---- Arma non servant modum,
Nec temperari facile nec reprimi potest
Strictis ensis ira; bella delectat cruor.

E In

In universum 11000. (Chemnitz 6000. tantum numerat; paucos in captivitatem acceptos ait) Suecici exercitus fusi cum Marchione Brandeburgo-Onolsbacensi Friderico, Domino de Zerotin, Ducibus Schneidewvino, Wetbergero &c. exiguum incommodum passis Cæsareanis, quorum ultra 1200. non desiderabantur. Captivitatem subire 6000. atq; inter hos Mareschalli militares Hornius & Kratzius, Duces copiarum Rossteinius & Schaffelitzkius cum 14. Ducibus legionariis. Bernhardus vulnere, *unde tamen plus gloriæ quam sanguinis manavit*, saucius vix effugit. Apparatus bellicus omnis, 80. tormenta, 4000. currus, 10000. equi, 300. (Chemnitzius 130. habet) vexilla hostibus in prædam cesserunt. Sed quis tot ludibria fortunæ, Ducum agminumque cædem multiplicem, devictorum fugam, clades nunc singulorum, nunc universorum, direptionesque aut animo queat adsequi, aut oratione complecti? *Adeo multorum annorum res fortuna in unum diem cumulavit, parvisque momentis magnus intercessit casus.* Atrocissima tamen hac clade Bernhardi *virtus, cujus fere magnitudo calamitatibus adprobatur, minime obfuscatur, nec cum fortuna mens quoq; versa est;*

Ille vetus solito perstat in ore decor.

Vires magis contudit, quam animos fregit ista calamitas, quamvis & brevi post exercitum majori mole reparaverit, fortunam industria sublevaturus, daturusque operam, ut acceptum incommodum virtute sarciretur.

Th. Europ. T. III. p. 800. Engelf. p. 67.

§. 4. *Multa dies variusq; labor mutabilis ævi*
Rettulit in melius, multos alterna revisens
Lusit, & in solido rursus fortuna locavit:

hæc inanis destituit spes Turnum, minus vero Bernhardum. Hic. A. 37. circumvenerat urbem munitam Gray

ad

ad Ararim ſitam; ad eam tutandam legiones ſex Burgundicorum & Lotharingicorum militum prope aderant. Qui nuncius poſtquam in caſtra pervenit, Bernhardus ſatius judicans inferre bellum, quam accipere, 24. Jun. verſus urbem Veſontionem obviam ibat. Statim tum infeſtis ſignis concurritur; Bernhardini acriter inſtant, illi haud timidi reſiſtunt, maxima vi certatur. Interea Bernhardus cum expeditis in prima acie verſari, laborantibus ſuccurrere, integros pro ſauciis arceſſere, omnia providere, multum ipſe pugnare, ſæpe hoſtem ferire; ſtrenui militis & boni imperatoris officia ſimul exequi. Hoſtes, ubi vident ipſum magna vi tendere, fugam arripiunt. Legiones aliæ 17. confectis ſuccurrere & novam de integro inſtaurare pugnam conabantur; ſed eas tormentis exceptas primo turbat, tandem profligat, fugientesque Veſontionem usque perſequitur Bernhardus. Cæſorum ab Engelſüſſ. 800. in Theatro Europ. 500. captivorum 426. numerantur. Præda fuerunt aliquot tormenta, & magna commeatus copia. Neque vero omni ex parte lætam aut incruentam victoriam adeptus erat Bernhardus. nam ſtrenuiſſimi quidam Duces cum militibus gregariis non paucis occiderant in prælio, multi graviter vulnerati diſceſſerant.

§. 5. Anno 38vo & præliis & victoriis magnus ac clarus antea, major & clarior fieri cœpit Bernhardus. Primam occaſionem ſuppeditabat Rheinfelda, quam ſibi opportuniſſimam Duces Copiarum Cæſarearum, Savellius & Werthanus cum ſociis liberaturi, milites ſuos convocatos, luſtratos, auctos adverſus Vinarienſes producebant, primo in primariã ipſorum ſtationem, monaſterium Büken, 18. Febr. facto impetu; aliquantum rejecti vi majore tentabant Vinarienſium caſtra. Nec Bernhardo fri-

Th. Europ. Tom. III. p. 910. ſeqq. Engelſ. p. 78. 79. 80, 81. Brachelius p. 270. 271.

gida dextera, demissusve animus; quin intrepidus sese hostibus offerre, apertamque belli aleam subire. Martem vero, æqvum dextro, iniqvum sinistro utriusq; partis cornu, dubium & campos invicem mutantem nox ingruens reliquit, fusis Cæsareanorum 300. Vinariensium 100. cum supremo Ducis Legato, Rheingravio. Erlachius, Kanoffskius & Bernholdus capiebantur. Bernhardus versus Seckingam facto itinere absentes cohortes cogebat; atque ex oppido Lauffenburgo tormenta accersebat. Hinc regressus 21. Febr. securos offendit hostes, & ante victoriam canentes epinicion. Savellius enim ejusque socii *non aliter ac si Bernhardinas legiones difflavissent spiritu, quasi ventus folia aut peniculum tectorium; neque ulla mutatio rerum posset accidere*, per totum imperium fama ac literis ad Imperatorem missis victoriam præcedentis diei concelebrabant. *Quæ res contemnentibus perniciei, Bernhardo despecto saluti fuit. Illos enim segnes; Hunc dato respirandi viresq; colligendi tempore robustiorem fecit.* Magna spe, *quæ magnæ indolis signum est*, magnaque fiducia, *etiam Deum pro meliore stare causa*, inflammatos ad pugnam milites, data tessera: GOTT mit uns! *Emanuel!* hostibus opponit; qui, cum experiundum esset, possit quid vivida virtus, indecores in limine primo deficiunt, ante tubam tremor occupat artus. Leves conflictus fauste Vinariensibus evenientes, ipsis animum, Cæsareanis terrorem augebant. Nimirum *primis eventibus metus aut fiducia gignitur.* Tormenta magno fragore exonerata omnem penitus excussere mentem hostibus, ut nihil quicquam fugæ, nisi quod terga nondum verterant, deesset. Duces Bodendorffius, Forbusius, Rosa & Hatsteinius jussu Bernhardi pellunt pedites, arma projicientes, quæ paulo ante ad tute-

lam

lam corporum ſumſerant. Equites, *cum iis acrius metus quam Dux imperaret, ſpernentes imperium*, à Tupadelio impetiti, ſine diſploſione ſclopetorum fugiunt. Werthanus, incertus adhuc, reſiſtere melius eſſet, an fugere, diutius moratus claudebatur, ut cum tota legione ſua in Victoris manus tranſiret, atque præter hunc Savellius (qui vero paulo poſt, in curia Lauffenburgenſi detentus, ope vetulæ cibum apportantis Conſtantiam exceſſit, evaſit, erupit non attendentibus cuſtodibus, quam ſuam negligentiam capite expiabant) Enckefortius & Speerreuterus, 4. Duces legionari, & plerique tam ſuperiores quam inferiores Officiales, gregarii milites 3000. maximam partem Bernhardino exercitui adjecti. Cæſi in campo relinquebantur, ſecundum Engelſ. 1500; ſecundum Theatr. Europ. tantum 600. reliqui Ducibus deſtituti, qua quemque aut ſpes ducebat, aut pavor, diſſipabantur. Tantam vero rem ſine ullo ſuorum, quorum non amplius quam 20. amiſſi erant, incommodo patravit Bernhardus, DEO fretus, cui, poſtquam à perſequendo hoſte ceſſaverat, debitas exolvit gratias, cecinitque canticum: *Te Deum laudamus* &c. & Pſ. 46tum rhythmice redditum: Eine veſte Burg iſt unſer GOTT ꝛc. tanta veneratione, ut equites equis deſcendere juſſerit. His peractis ad obſeſſionem Rheinfeldæ urgendam remiſit pedites; equitibus, præliis operibusque feſſis, paucorum dierum quietem dedit. Cæſos humari, ſaucios refici curavit.

§. 6. Spe ita liberandæ Rheinfeldæ exciderant Cæſareani; Briſaci ſaltem rebus nimis feſſis ſuccurrere fortiter ſtatuebant. Datur hæc provincia Gözio. Is poſtquam luſtravit Exercitum & Savellianas ac Wahlianas copias ſibi adjunxit, appropinquat. *Crudelis hic exoritur,* *Th. Europ. l. c. p. 63. 64. Engelſ. p. 84. ſeqq. Brach. l. c.*

 ritur,

citus, ſed juxta ornatiſsimus, omnique apparatu inſtructiſſimus erat; ut crederetur, elegantiorem & inſtructiorem in bello Germanico nondum viſum; ſimul mori quàm vinci præoptabat. Contra ſi quis aciem Bernhardi intueretur, *diſpar valde erat, torva ſane & inculta, equis viriſque non aurea, non diſcolori veſte fulgentibus. Agmen & ſtare paratum & ſequi, nec turba nec ſarcinis prægrave; intentum ad Ducis non ſignum modo, ſed etiam nutum. Fatigatis humus cubile erat; cibus, quem occupabant, ſatiabat; tempora ſomni, quam noctis, arctiora erant.* Luſtrat hunc ſuum exercitum Bernhardus; legiones explet; calida pietate atque religione pectora habere jubet; hortatur, *confiſi DEO & juſta cauſa, ſpernant illam aciem auro & argento fulgentem, in qua plus præda quam periculi ſit: cum victoria non armorum decore, ſed ferri virtute quæratur; vindicent à ſervitute & falſa religione Germaniam; eant alacres & ſpe pleni, ut quam gloriam acceperint in prioribus pugnis, hoc etiam tempore ſervatam poſteris relinquant.* Illi, aut victoria aut morte honeſtiſſima, quales milites Bernhardus habeat, oſtenſuros ſe promittunt. Quamvis vero Cæſareani initio feliciter movere viderentur; iſtam tamen temeritatem pro virtute non timuit Bernhardus, *quæ, ubi primum impetum effudit, velut quadam animalia amiſſo aculeo, torpet.* Interrito vultu præſentique animo jungens diei noctem occurrit hoſtibus, & 29. Jul. juxta pagum Frieſenheim eos adoritur, conficitque plus 100. paucis ſuorum perditis. Poſtero, 30. Jul. die, poſtquam ſacra & concio de lacrymis Chriſti ſuper Hieroſolymis ex Luc. 19. præcedenti diei dominico debita, ſed propter iter & conflictum omiſſa, habita eſſent, ad ſolemne certamen deventum. Milites Bernhardinos ſolitum ſymbolum: GOTT mit uns!

tuis! *Emanuel!* Cæsareanos & Bavaricos: *Ferdinandus!* incitabat. Circa meridiem prælium inchoabant tormenta; continuabant legiones & turmæ mutuo incursantes; tandem omnes in arma ruebant copiæ, tam obstinatæ tantoque impetu, ut altera pars alteram bis loco suo pepulerit, vagâ usque in quintam horam victoria. Diei unius tam multiplex casus modo spem modo metum augebat, *velut de industria inter fortissimos viros certamen æquante fortuna.* Hinc iterum legionatim & turmatim pugnabatur; tandem iterato impetu in fugam actos Cæsareanos Suecicus equitatus persequebatur; peditatum vero in pugnæ loco cohibuit Bernhardus, potitus omnibus fere tormentis, 3000. curribus, rhedis, carrisque annonam vehentibus, Gözii & Savellii Cancellariis, itemque 80. vexillis. Præterea hæc strages Cæsareanorum 1500. in loco pugnæ, multos in fuga absorpsit, alios in Rhenum præcipitavit, alios victoris arbitrio permisit. Tantum splendidus iste exercitus, qui minimum 12000. idoneis pugnæ militibus constitit, detrimentum perpessus est, ut vix 2500. ad imperatores suos, quorum unum, Savellium, vulnus excruciabat, redierint, iique ferme inulti, quippe supra 500. Vinarienses gregarios milites, & paucos officiales non prostraverant. Tupadelius ferocius insistens hostibus ipse capiebatur. Bernhardus vero, quem ut non in cœlum debitis laudibus efferat, nulla erit tam surda posteritas, nulla tam ingrata fama, quamvis medius inter imperatorem & militem ipse pugnaverit, legionesque & cohortes fere singulas eduxerit, existimans *& deforme sibi, quos dignitate præstaret, ab iis virtute superari, & pugnando non minus quam adhortando accendi militum animos,* sine periculo evasit, nisi quod arma ejus binis

glo-

globulis tacti. *Effugit nemp: mortem, quisquis contempserit; timidissimum quemque consequitur.* Nec Rosa & Nassovius, adversis vulneribus virtutem probantibus, sua laude fraudandi sunt. Qui occubuerant in prælio, humo tegebantur, tum Bernhardini, quam adversarii, *quod non adversus calamitates, sed adversus hostium vires didicerit contendere Bernhardus, nec bellum cum mortuis gerebat, sed armatum esse oportebat, quem odisset.* Saucios sanandos divisit; victoribus suis militibus, quorum sangvine & labore partus erat, commeatum utendum fruendum dedit. Divini cumprimis memores auxilii 1. Augusti eucharistica sacra in genua prostrati celebrabant, cantantes Ps. 124tum: Wer GOtt nicht mit uns diese Zeit &c. itemque *Te DEUM laudamus*, & vacivas aures concioni præbentes.

Th. Europ. l. c. p. 984. Engelf. p. 96. 97.

§. 7. Urgente magis magisque & ferro & fame, Brisacenses Bernhardo, ne desidere in tanto sociorum discrimine videretur, Carolus Dux Lotharingiæ in obsidionis patientiam frumento præsidioque eos instructurus erat. Mature hujus adventum percepit Bernhardus, nihilque moratus adversam valetudinem, hostes, antequam opprimatur ipse, opprimere studuit. Milites igitur ad pugnam instruit, Deum ante omnia in subsidium vocat, supplice corde & ore precatus Psalm. 71mum, ad præsentem ejus temporis statum examussim accommodatum, stupentibus omnibus, quotquot audiebant. Hinc equum adscendit, alta ingemiscens voce: Gott wird mich nicht verlassen! Cum equitum manu, qua castra nudari poterant, progressus prope Thannam in loco dicto Ochsenfeld Carolum 4. Oct. ad pugnam cogit. Vinarienses constanti impetu in Lotharingicos immissi speciem magni agminis

præ-

præbuerunt; illi, cum vera explorare non possent, falsa per metum augurati fugam capessunt, latebrasque in vicina sylva quærunt, sed non inveniunt. Multi cæsi, reliqui dispersi. Equites 200. & 400. pedites vivi tradebantur Bernhardo, cum Caroli agnato Duce Bassompierio, qui Colmariæ custoditus inter cetera hæc ad hospitem suum faciebat verba: Es seyn drey Feldschlachten in einem Jahr zu gewinnen für einem Fürsten zuviel. Er wünsche Ihr. Fürstl. Gn. das Königreich Schweden und von darauß alle Jahr neue victorien gegen Moscau von Hertzen; aber hier zu Lande plage Ihr. Fürstl. Gn. was dem Hauß Osterreich anhängig sey/viel zu hart. Post victoriam, utique & sangvine & labore suorum emtam, saucios deligari; fessos alterna requie vires reparare jussit Bernhardus.

§. 8. Gözius iterato felicius jactum iri aleam sperans, cum adjuncto socio Lambojo castra Bernhardina denuo 15. Oct. invadit subitoque turbat tumultu, obsessores aut ad obsidionem solvendam compulsurus, aut certe Brisaco auxilia & annonam subministraturus. Sed spes pascebat inanes. Benrhardus milites suos meminisse jubebat: *cum Gözio se secundo pugnare; ne meliores factos putarent fuga, cum in aciem secum tam tristem memoriam cadium suarum, & tantum sangvinis priori prælio fusi ferrent;* itaque facile erigebat. Ipsi igitur armis arreptis hostium jam tum medio ponte, quo Rhenus jungebatur, potitorum conatus eludunt, atque ita infestant, ut cum aquila, eo die tentorium Bernhardi, bis commotis alis, transvolante, Friburgum peterent, relictis Ducibus legionariis duobus & quinque Capitaneis in manibus hostium vivis, mortuis 1000. Atque sic Bernhardus, frustra

Th. Europ. l. 0. p. 991. Engelf. p. 970. 80.

F

ſtra clavæ Herculis ſe opponente invidia fremituque hoſtium, uno anno quater per obſtantes catervas explicuit ſua victor arma, quem proſperũ rerum ſucceſſum ſummo pietatis & gratæ mentis ardore proſecutus, literis Eccleſiaſtas Colmarienſes hortabatur: *Deo gratias immortales agerent, horas precationum ſtatas frequentarent, &, cum hic demum Rhodus hic ſaltus fore videatur, palmas, ceu Moſes, ad cœlum tenderent, à Deo ſummo vires & victorias exoraturi.*

II. Claſſis exhibeat urbium expugnationes.

Chemnitz. part. 1. l. 4. c. 35. Lungſh. l. c. cap. 2.

§. 9. A. 31. in Palatinatu inferiori Manhemium, cujus expugnatio Tillio antehac multo labore conſtiterat, aſtu circumvenit. Cum intellexiſſet ſomniculoſe agi excubias, ſummo mane cum 300. veteranis fugam & metum ſimulans, ad urbem iſtam perrexit, quærentibusque vigilibus: cujusnam factionis eſſet? Cæſareæ reſpondit, à Suecis pulſum cum ſuis obnixe rogare portas aperiant, & contra perſecutores tutum ſibi receptum præbeant. Simplices intromiſſum hoſtem experti, imprudentiam luebant partim vita, partim captivitate; ex qua, ſoluto lytro, dimiſſus capitaneus Maravallus cum ſuis ſigniferis. A. 32. Sueviæ oppidum Fueſſen obtinuit, in ea 300. cecidit. 1100. ſupplices ſervavit ſuoque addidit exercitui, *gnarus & vincere & victis conſulere.* Landsbergenſes clavibus portarum traditis læti adventantem accipiebant, excuſantes deditionem urbis Cæſareanis factam. Coburgenſibus auxilio adfuit & mature & feliciter. Poſt victoriam Lutzenenſem facile erat urbibus amicis, Chemnitio, Zvvickavia & Freiberga præſidia hoſtilia ejicere, Bamberga inopinans opri-

primebatur; securi & imparati defensores fuga elabebantur Forchemium, de quibus tamen multi in via perierunt. A. 33. Höchstet, ut dederet ultro, sæpius monitus præfectus vim quam misericordiam experiri maluit; qua sua pervicacia sibi suspendium, urbi incendium, armatis omnibus mortem attraxit. In expugnata urbe Aichen aliquot tormenta & multi modii frumenti accipiebantur; in Dachau 300. currus apparatu bellico & commeatu graves, 9. tormenta; 300. cædebantur, 600. capiebantur. Herriden & Ohrenbau etiam expugnabantur. Monachii, quod defensores destituerant, omnibusque bonis, ut nihil eorum hostes fruerentur, spoliaverant, veniam orantis misertus Bernhardus mitiorem eidem se præbuit hostem, quam amici fuerant. Landsbergam iterum occupatam durius adfligit, militum suorum direptioni exponit, arma gerentes cunctos milites, cives, rusticos rure eo dilapsos, partim trucidat, 500. sibi addicit, turres murosque destruit; cuncta civitas pœnæ aut prædæ fuit. Neoburgum petere cum nunciatus esset Bernhardus, præsidium Bavaricum antecapiebat fugam, parte pontis, trans Rhenum ædificati, ad retinendum hostem dejecta; cives pacem flagitantes ægre exorabant, coacti pontem restruere, quem transgressus exercitus sine prælio & sanguine urbis Aichstat totiusque Episcopatus potiebatur. Paucis interjectis diebus arx quoque Aichstatensis, compulsis ad paciscendum, qui tutabantur, cum magna frumenti copia & 21. tormentis æneis impetrabatur, quamvis non absque omni incommodo. Aliquot dictarum urbium cum paulo post extorsisset Werthius, denuo in suam potestatem redegit Bernhardus. Consilium item capiebat obsidendæ urbis munitissimæ Ratisbonæ, ad cujus rei emolumentum spectare ratus, si ho-

Chemn. part. 2. l. 2. c. 26. p. 122. Theatr. Eur. tom. 3. p. 63. Lungk. c. 8. Engelf. p. 9. Hos Autores cũ tadio deinceps repetere supersedebo. B. L. ipse quodvis suo loco facile reperire poterit.

hostibus aditum obstrueret, arcem Hohenstauffen & oppidum Kahlheim expugnat, regionem lustrat, omnia ad obsidionis necessitatem perquam enixe parat. Inde, *prout omnia prius experiri, quam armis, sapientem decet*, præfectum urbis per buccinatorem ad deditionem sollicitare; cum vero negaret iste, & ad extremum usque halitum se pugnare paratum responderet, totum exercitum quindecim millium utrisque Danubii oris advehere, urgere urbem. Ita territus præfectus subito mutavit sententiam; certis conditionibus, ægre licet, quod durius propositas existimaret, quam aut ratio militaris, aut majestas Bavarica, aut suiipsius honor admitteret, acceptis urbem tradidit; ipse Ingolstadium concessit. Ingressus urbem Bernhardus eidem sua jura sarta tecta servavit, militibus direptione & offensis severe interdixit, qua re civium amorem oppido sibi conciliabat. In templo cathedrali præsente Bernhardo cum plerisque Ducibus & ceteris Officialibus à Concionatore bellico concio eucharistica ex Ps. 64. habita, Symbolum Apostolicum prælectum, cantatus hymnus: *Te Deum laudamus* &c. Episcopo & Clericis arresto devinctis, quod Bavaro suo ære 400. milites conduxerant; ad Bernhardinum exercitum reficiendum ingens pecuniæ summa imperabatur, atqve illi quidem soli 40000. Imperiales, quibus cum non esset solvendis, arcem suam Hochburg cedere coactus est. Tantam jacturam imo pectore coquentes Pontificii, insidias parabant & flammas; sed his præoccupatis omnes urbe excedere jubebantur præter Episcopum & paucos alios, obsidum loco retentos, usqve dum Lutherani Ingolstadii aliisque in ditionis Bavariæ oppidis captivitate solverentur. Heic loci etiam Locum tenenti cuidam, cujus vel fraude vel

vel timiditate urbs Aichstat hostium facta erat, capitis pœna irrogabatur. *In aliis enim peccatis facile connivebat Bernhardus, perfidi autem & desertores delictorum veniam nunquam consequebantur, sed statim capite ea luebant. Idque usu salubre & misericordia melius apparuit.* Inopinata Ratisbonæ munitissimæ expugnatio aliis oppidis ingentem incussit terrorem, ut partim ultro, partim haud pertinaces ad Bernhardum transirent, ut Cham, Neustat, Straubingen, Deckendorff, Filtzhoffen, Werden, Nappurg.

§. 10. A. 34. arx munitissima Donaustauffen expugnata, qvod Ratisbonæ non adeo oportuna erat, subfodiebatur & pulvere pyrio in aërem mittebatur. Weida contra munimentis firmabatur. Præter plura à Ducibus capta oppida vincebantur Kemnath, Aicha igne corrupta, Freisinga direptionibus exposita, Mosbach & Landshutum penitus conculcatum. A. 35. Gallasium, ut omitteret Moguntiam, compulit Bernhardus; urbi vero fame afflictæ annonam præbuit, & validius præsidium imposuit. Mense Augusto oppida Bingen, Rüdesheim & Elfeld hostibus eripuit. A. 36. non minus sociis in Alsatia urbibus, Hagenoæ, Seletstadio, Benfeldæ, opem ferendo, quam hostiles vexando occupatus erat. Mense Jun. dura obsidione Tabernas Alsatiæ cinxit; ejus tædio Præfectus Mühlheimius certas conditiones pactus deditionem maturabat. Ingens periculum in hoc labore Bernhardo impendebat; præterquam enim, quod manu vulnus accepit, duo globuli plumbei ex adversis tormentis advolabant, quorum unus 12. passibus à Bernhardi tentorio binos postravit eqvos, alter tentorium, Ipso ibi cubante, infestavit. Blamontium in Lotharingia acriter repugnans gladiis manibusque

 hosti-



hostilibus tandem cessit: præfectus vero, quod igne urbem corrumpere ausus erat, resti collũ aptare coactus. Pariter Ramberville & Jonville non diu obsidionem tolerabant. A.37. in Burgundia Gray Bernhardo accessit, itemq; castellum Baume, tam ampla refertum annona, ut frumentariæ domui, Mompeliardi extruendæ, sufficerit. Mohlberg, Endingen & Ettenheim multum itidem frumenti & dulce vinum suppeditabant. Marckelsheim victoris arbitrio se permittebat.

§. 11. An. 38. Jan. Rheinfeldam corona X. legionum pedestrium, & IIX. equestrium circumdedit. Ejus urbis præfectus hostilibus impugnationibus milites suos impares minusq; instructos existimans, per tabellariũ à Brisacensibus auxilia flagitare destinabat; sed iste interceptus ante portas suspendebatur. Nihilominus Brisacenses ultro aderant, obsessis pulverem tormentarium aliaque necessaria ad obsidionis patientiam suppeditaturi, minus tamen prospere. Profligatis Cæsarei exercitus ducibus, Savellio & Werthano, acrius incumbebatur obsessis, præfectusque ad deditionem, pertinaciter primo negatam, cogebatur. In suam igitur manum hanc civitatem 12. Mart. acceptam vallis, præsidio & annona communivit. Porro arcem Röteln in Alsatia cum eximia & pecoris & frumenti copia, armata manu; Neoburgum & Friburgum pactis conventis sibi subjecit. Ad belli longius tracti emolumentum egregie pertinere ratus, si Brisacum nobilem Brisgoviæ civitatem, receptaculum copiis suis futuram, in potestatem redegisset, eandem claudentem sibi portas aggreditur. Hinc impigre prudenterque suorum & hostium res pariter attendere, cognoscere quid boni utrisque aut contra esset; explorare consi-

consilia adversariorum, & insidias eorum advertere, nihil apud se remissum neque apud illos tutum pati. Vallo atque fossa mœnia circumdare, ponte catenaque Rhenum jungere, præsidiarias ut & auxiliares ex Gallia copias in obsidionem jungere, commeatum & apparatum curare, hostibus aditum præcludere, prorsus intentus ne quid auxilii obsessis ferri posset. Cum Brisacenses aliquoties centenos calones, fruges consumere natos, urbe expellerent, eosdem rejicere. Suos hortari, ac spe prædæ, gloriæ & futuræ quietis ad virtutem erigere, vi atque dolis dies noctesque tentare, instare portis, sternere cæde viros & mœnia cingere flammis. Cogitabat etiam, *non minus esse Imperatoris consilio superare, quam gladio*, ideoque multoties obsessos hortabatur, dederent urbem. Contra Brisacenses muros portasque strenue defensare, insultus præsenti animo exceptare, nec ullam deditionis significationem facere. Rheinachius præfectus, haud sane temporum homo, ultima pro fide experiri decreverat. Gözius, Savellius, Horstius, Carolus Lotharingus certatim, ut adflictos adjuvarent, præsto erant; nec omni successu destituebantur. Gözius enim d. 19. Maj. sub præsidio sui equitatus 250. viros & 500. saccos farina repletos Brisacco immisit, cum paulo ante plures Vinariensium confecisset. Ast Bernhardus omnes difficultates, Deo fretus, *(nam consilio contra eas providere non poterat)* superavit, urbemque munitissimam d. 9. Dec. tandem expugnavit. Rheinachius enim, ubi intelligebat omnes suas fortunas in extremo sitas, hostem infestum, auxilii spem vanam, penuria rerum obsidionem trahi non posse, XVII. dedendæ urbis conditiones offerebat. Sed responsum: *leges à victoribus dici, accipi à victis*; iisque reje-

rejectis aliæ XIV. remissæ, quibus nolens volens subscripsit Rheinachius. Die dicto 9. Dec. post horam octavā matutinam idem cum 400. validis, & 50. ægrotis sub 19. vexillis Offenburgum abiit, acerbe reprehensus, quod Gallos captos crudelius habuisset. Ipse vero multa causatus, humiliter sese gerebat, & Bernhardi ocreas osculabatur; Bernhardus tamen tuendæ autoritatis ergo erectus equo sedit. Cancellarius Brisacensis Vollmarus capitis damnatus, & causa sua & fortuna hortante, confitendo culpæ suæ veniam petebat flexis genibus & protentis ad cœlum manibus. Quamvis vero Bernhardo causæ irarum nondum excidissent animo, essetque alta mente repostum judicium Paridis spretæque injuria dignitatis; satis tamen habuit durioribus verbis eum castigasse. *Ita intimis pectoribus ejus clementia nec dolore, qui ex contumelia gravissimus sentitur, revelli potuit.* Ceterum expugnatio hujus urbis munitissimæ maximo labore, argento, sangvine constitit. Ferro magis an fame dominante contigerit, incertum. Tanta penuria annonæ & tam gravis inedia pressit urbem, ut Officiales panibus ex avena, milites gregarii ex furfure & cortice quercino pistis vescerentur; quin imo nec carnibus humanis, quas Rheinachius Bernhardo sub portis monstravit, abstinerent; canes vero, feles, mures, coria & ejusmodi alia in deliciis haberent. Centum homines durante obsidione comestos fama tulit. Simulac vero deditio facta fuit, Bernhardus fame semimortuos & tabescentes panibus & aliis cibis abunde apportatis refecit, urbemque aliquot annorum annona locupletavit. Ejus curam Erlachio imposuit, & viris vallisque firmissimam reddidit; multitudinem

Brachelius p. 272.

suam

suam hinc inde collocavit, & crebris excursionibꝰ ditavit. 30. Dec. castellum Landskron etiam occupavit, ibique multum frumenti ceterique commeatus invenit.

§. 12. An. 39. mens. Jan. in Burgundia munitissimi castelli Mortau, & 1500. frumenti culeorum, ibi servatorum, compos factus est; paulo post etiam Ivignon compescuit. In obsidione Pontarlini tres dies hærebat. Acriter obsistebant obsessi, & maxime ignibus propulsabant obsessores, ut flamma etiam suburbium frumento plenum corriperet, quam cito extinxere Vinarienses. 24. mensis dicti die debilitato per frequentes insultus fervore arma ponunt obsessi, & Bernhardo urbem relinquunt. Hic lætus non solum victoria, sed etiam opima frumenti & salis copia, ad tutelam urbis tres legiones assumit, & primariam militum stationem ibidem collocat. Sed mens. Jul. Galli feroces Pontarlinum diripuerunt, & igne perdiderunt proprio ausu; quod scelus serio detestatus Bernhardus, autores ejus requisivit, pœna digna multaturus. Immerito igitur ruinam urbis Bernhardo fama imputavit, *quæ vix vero favet, pejus merenti melior, & pejor bono.* Occupabantur etiam Nosoret, Moutier, Ormans, & arx præstantissima Ioux, quam regionis amœnitate pellectus sedem sibi delegit Bernhardus.

Tertia classis reliqua facta referat.

§. 13. Postquam Ducis munere fungebatur Bernhardus, ut Ducem & strenuum se præstaret, laboriosissime enisus est. Primas hastas contra Tillii manus in Marchia prope Werbenam jactabat, satis acriter & intrepide. Inde in Hassiam Landgravio Wilhelmo auxilio adcurrit,

G castel-

castella recuperat, & post victoriam Lipsiensem hostes ex terra prorsus ejicit. Ex Hassia ad Regem Sueciæ, circa Herbipolin castrametatum, redux, cum ipso Rhenum versus movebat, & feliciter in Palatinatum præibat, intentus ad transportandas trans Rhenum copias Suecicas, quæsita eam in rem navi... Ann. 32. transtulit exercitum in Sueviam; in confinio comitatus Tirolensis, quamvis exigua manu instructus, strenuissime & prospero rerum successu pugnavit, quem captivitas Comitis ab Hohenembs cum majore Ipsius militum parte honestavit. Dein jussu Regis in castra prope Noribergam concedit, ubi tanta virtute Cæsareanos juxta Pegnesum fluvium in monte, quem veterem vocant, vallis munitos adoritur, ut equum amiserit. In Franconia cum 10000. militum aliquantum tempus trahebat, speculaturus consilia hostium; pontem Mœno imposuit, 40. catervas ab Isolanio ductas fudit. Sed mox ad Regem, festinantem in Misniam & Saxoniam Super. contra Wallensteinium, rediit. Post pugnam Lutzenensem alteram Suecici exercitus partem, ab Axelio Oxenstierna, supremo post mortem Regis belli Directore, sibi commissam, in Franconiam & Norrgoviam præmisit, valetudine Jenæ & Vinariæ reparata sub initium Anni 33. secutus. Primus ipsi conflictus erat cum Werthio juxta Ahrenbau, quem vulneratum propulsat, 300. de copiis ipsius conficit, 100. capit. Hinc junctus Hornio in Bavariam perrexit; paulo post, ut Wallensteinianos ab aditu Ratisbonæ arceret, retroivit in Episcopatum Aichstetensem & Palatinatum Sup. abhinc vero in Sueviam. Aprili gravem spirabant seditionem superiores Officiales, face & tuba Joachimio Mitzlavio, homine callido & loquaculo. Eam ut sopiret & in prima herba suppri-

supprimeret, noctes atque dies cum Hornio laborabat. Majo mense Francofurtum ad Oxenstiernam & Federatorum Statuum Deputatos proficiscitur, Heidelbergæ cum iisdem de alendo exercitu & stipendiis eidem solvendis consilium capit. Postquam ingentem auri summam impetrasset, cum Comite Brandensteinio, summo Suecorum rei pecuniariæ Præfecto, circa finem Julii Donavverthamrecurrit, spes militum, quorum 43000. erant, explet, delectum agit, & legiones instaurat. Interea Altringerus, summus Bavari Dux, magna mole exercitũ paraverat, inque ejus commilitium Dux Feriæ ex Italia veniebat; cui cũ 15000. ab Hornio occurrebatur. Cum reliqua exercitus parte Bernhardus Donavverthæ substitit, Tupadelium cum 5000. equitibus dimachisve Dn. Fratri Wilhelmo, Culmbaci agenti, ad Holckii incursiones in Franconiam prohibendas auxilio misit. Altringeri & Feriani copiæ interea adunatæ erant, ducunturque adversus hostes ad mensam jam debellatos, spe magnarum victoriarum, præmiorum & gloriæ; alacri tamen vultu & imperterrito animo exceptæ. Bernhardus instructus 10000. fortibus viris & 30. tormentis, ad Ulmam sese conspiciendum præbebat, variis tentans adversarios conflictibus. Circa Memmingam adjuncti Hornius, Dux Würtembergicus Julius Fridericus, & Christianus Birckenfeldensis; Bahlingæ primaria statio constituta. Vix tum semimilliaris intervallo invicem aberant hostiles exercitus, ad decretorium prælium utrinque parati, nisi Altringerus abnuisset, satius existimans salvum sine periculo abire, quam dubiæ belli aleæ spes omnes committere. Hornius cum Birckenfeldensi hostes Brisacum petentes à tergo premebat. Bernhardus vero brevi eximia belli instrumenta nactus, in Ba-

variam cursu directò, urbes afflixit, & seditiosos rusticos oppressit.

§. 14. An. 34. à Wallensteinio ex Bavaria in Bohemiæ fines extrahebatur; cum vero iste à Butlero, Cordone & Leslæo Tribunis Cæsareis Egræ trucidatus esset, in Franconiam & Palatinatum sup. discessit Bernhardus. Dum hæc aguntur, Bavari accepto respirandi tempore, ad belli necessitatem sese instruere, castella & urbes munitas recuperare; insuper numerosus Cæsaris excitus adventare, Ratisbonam acri obsidione premere. Bernhardus contra omnem eo curam operamque intendere, ut hostium vires & molitiones infringeret obsessamque urbem servaret; lustrare exercitum, &, cum circiter 20000. esse comperisset, pleramque ejus partem juxta Kählheim trans Danubium positam adversariis ostendere. Tum ex adversis montibus acriter tormentis pugnatum, multique Vinariensium cum Duce Corvillio prostrati, quod damnum cæde 400. Croatarum & Ducis Hungarici compensarunt. Datis ita acceptisque invicem funeribus præsidiarios milites urbi immisit, cum ceteris Noribergam recurrit Bernhardus; ubi Corvillii exequias, magnifice in suburbio Werth institutas sua præsentia una cum Marchione Onoldisbacensi Friderico decoravit. Mense Jul. circa Augustam Vindelicorum coëuntes Bernhardus & Hornius exercitum habebant 24000. virûm, cujus virtute Ratisbonam liberare iterum tentaturi erant. In via, Landshuti, cum Altringero 15000. stipato, conflictum subeunt, eoque dejecto copias hostiles in castra repellunt. Cum vero Ratisbonæ deditio nunciata esset, itinere versus Augustam retrofacto diviserunt copias, & Bernhardus Donavvertham profectus, Hornius

Lands-

Landsbergam, ut Cardinalem Ferdinandum, Regis Hispaniarum fratrem exciperet; quod tamen consilium successu caruit. Ita hostes magis atque magis vires nutriebant, florenteque in expugnatione urbium ac omnibus negotiis fruebantur fortuna. Igitur Mense Aug. denuo suas contrahunt copias Bernhardus & Hornius, itemque in societatem adsciscunt Würtenbergensem, Onoltzbacensem, Birckefeldensem, Durlacensem, & præsidia in castellis hinc inde dissita. Rheingravius etiam vocabatur; sed hujus adventum vel tempus præpedivit, vel ipsi levius visum est, socios, quam Alsatiam milite vacuam relinquere. Conjunctæ copiæ cum Ferdinando Rege Hungariæ, Ferdinando Cardinali, Gallasio, Werthano, Lotharingo, juxta Nordlingam committuntur, & gravi prælio superantur, quod supra pluribus verbis descripsi. Bernhardus, anxius in instaurando exercitu, dispalatos milites suos circa Hailbronnam & Francofurtum congregabat; Rheingravianas, & Domini fratris Wilhelmi cohortes, multis tormentis instructas, attrahebat, in Hassia vires resumebat. Ex Gallia quoque ingens exercitus viginti quatuor millium per Forcium auxilio mittebatur.

§. 15. Sub initium A. 35. cum 20000. prodibat in Wetteraviam contra Gallasium; cui cum nocere non posset, cito pedem retulit, multis itineris difficultate & frigore amissis. Circa Mart. Rheno transmisso, copias suas ibi explicat, Ipse Wormatiam ad Ostenstiernam & Federatos Status venit, à quibus honorifice acceptus; consilia & conventa per Consiliarium Landgravii Hassiæ Porschenium exposita; horreum militare, ut sine difficultate commeatus suppeteret, conditum, armilustrium habitum, sti-

 pen-

pendia militibus soluta. Post cum Oxenstierna Legatum & Duces Gallicos Benshemii invisit. Interim auxilia Gallica relicto Bernhardo in Alsatiam concesserant; Gallasius contra quadraginta millia congregaverat, & vincendi occasionem sibi datam ratus, Bernhardum numero & robore inferiorem opprimere statuerat. Præsenti huic periculo Bernhardus feliciter sese eripuit, præcepto Mediomatricum itinere; ubi viribus Valettani auctus, ut exercitus ad 30000. numerum excresceret, cum ipso contra Gallasium, circa Rhenum & Mœnum hærentem, contendit, eumque, à quo antea propulsus erat, propellit. Prope Hochhemium ad Mœnum anceps certamen erat. Tandem Bernhardus & Valettanus reflexo cursu Moguntiæ per pontem Rheni traducunt suas legiones, quas secuti Cæsarei in valle Ingelhemiorum impetebant, assectis in fugam versis. M. Sept. d. n. Adunati 9. pedestres, 13. equestres Gallasii legiones in acie stare conspiciunt. Eas tentatas locoque pulsas cædibus onerant, & 13. tormentis spoliant. Sed cum superveniret Gallasius cum reliquo suo robore, tandem, pluribus acceptis, paucioribus illatis cædibus, & captis 2. Ducibus cum nonnullis Officialibus & gregariis militibus, incensis item plerisque curribus, ut de illis hostes præter incendii spectaculum nihil fruerentur, ceteris, cum 10. tormentis, relictis, effuso & continuo per 34. horas cursu fugiunt in Lotharingiam, & circa Mediomatricum consident. Prælii copiam tunc faciebant Adunati; sed recusabat Gallasius. Post hujus abitum adversarios habebant Croatas & Polonos à Paulo Noskovvsky ex Silesia adductos, quos digne tractabant. Bernhardus Mosellam trajiciens in Lutzenburgico Ducatu prædas agebat, septem legiones Cæsareo-Hispanicas non pro-

cul

cul Theodonis villa dispersit. Contra cohors Vinariensium à Lotharingicis superabatur. Gravis hic annus Bernhardo accidit ob pacificationem, quam Protestantes Imperii Ordines cum Imperatore Ferdinando II. Pragæ inierant. Ipse nihilominus, quamvis desertus à plerisque Sociis, eandem cordate & constanter repudiavit; *servitutem, non pacem esse ratus, quæ non omnibus conveniret, & ab hoste ferretur.* Quamobrem ad Potentiss. Galliæ Regem conversus, cum eodem fœdere contracto, sumtus sibi paciscitur ad tam diu sustentandum exercitum, donec, communibus omnium suffragiis, honesta, æqua & constans pax sanciretur. Rex eo fœdere, quamdiu bellum duceretur, quotannis quatuor milliones francorum suppeditare promisit; Bernhardus contra exercitum 6000. equitum, 12000. peditum Germanorum coacturum se & aliturum, ut & tormenta paraturum, recepit.

§. 16. A. 36. Bernhardus ipse Lutetiam Parisiorum, ut coram pacta cum Rege stabiliret, & consilia belli caperet, profectus est. Cum illustri pompa illic excepto statim ad Regem patebat aditus; ingens argenti summa impetrata; quæ petebat, rata omnia; voti compos, donatusque insigni gladio & baltheo, internitentibus adamantibus exornato, discessit. Quamdiu Lutetiæ degebat, singulis diebus 2000. floreni in ipsum impendisse Rex fertur; Galliæ Principes sua familiaritate & amicissimis colloquiis temporis tædia discutiebant; Cardinalis Richelius frequens aderat, abeunti amicitiam munere sex eximiorum equorum clare testatus. Postquam Parisiis ad exercitum rediisset; cum Valettano Gallasii fortunam in Alsatia spectabat. Eo utrique progressi hostem lacessunt, in prælium justum descendere parati. Is vero tergiversatus tandem pleram-

pleramque exercitus sui partem ex Alsatia in Palatinatum Rheni eduxit. Dum interea Condæus ex Burgundia Parisios arcessitur à Rege, Bernhardus, munitis milite & frumento Alsatiæ castellis, cum duodecim millibus in Lotharingiam, & ulterius in Burgundiam, Condæi fortunam persecuturus, intravit. Negotium facessebant rustici, quorum audaciam, interfectis aliquot millibus, coërcuit. Post, contractis undique Gallicorum auxiliorum reliquiis, Cæsareo-Hispanico-Lotharingicas manus, quæ circa Mompeliardum sese explicaverant, petebat; mox Gallasium cum toto exercitu quadraginta millium adversum habebat, edocuitque *spe & conatu deteriorem sæpe bella sortiri eventum*. Etenim præter 1800. equites, qui capiebantur à Vinariensibus, magna exercitus Gallasiani pars ferro, inopia commeatuum, morbis attrita, simul & ardentissimi Ducis consenuit impetus, ut re infecta, tædio adversæ fortunæ, æger retulerit pedem. Vinarienses vero levioris sui detrimenti facile obliviscebantur, larga hyberna adepti, nec Cæsareos vel in Lotharingia & Burgundia, vel in Alsatia tutos esse passi.

§. 17. A. 37. mense Jan. Bernhardus circa Mediomatricum ad facilius contundendas Savellii, Lotharingi & Comitis S. Martini copias (7000. peditum, 4000. equitum numerabantur) in Burgundia & vicinis terris reliquas, cum Valetrano suos milites junxit, quibus ut stipendia merita erogari potuerit, Rex Galliæ grande argenti pondus suppeditavit, in cujus congressum colloquiumque iterum venerat Lutetiæ, imperio interim Duci Oehmio commisso. Valetranum ex Burgundia in Bataviam properare Rex jussit; Longovillium vero Bernhardo comitem dedit. Horum uterque suas experiebatur vires. Bernhardus

post

post pugnam juxta Gray, 30. Junii non procul Vesontione hostiles manus incursavit, cataphractos & pedites multos, quos Lotharingiæ Dux custodiæ corporis sui destinaverat, prostravit. Dum hæc aguntur, nuncius adfertur, per totam Germaniam Cæsareanos effusos esse, Banerum & Hassum ad impetum eorum sustinendum non satis validos. Bernhardus in Burgundia & Lotharingia nihil actum existimans, si Germania hostibus prædæ foret, sociis opem ferre statuit. Viginti millia circiter militum tum habebat; quibus convocatis, ad Rhenum tendit, Mompeliardi horreum militare commeatibus replet, prope Rheinau Rheno pontem imponit, & 27. Jul. copias transferre incipit. Jam Rheni transitus tenebatur, in Sueviam & Bavariam patebat via; quam ut præcluderet Werthanus, suum agmen aliquot millium opponit, castris circa Schüttern statutis. Vinarienses sua castra prope Wittenmeyer locaverant, vallis fossisque munita. Varia fortuna utriusque partis res gerebantur. Werthanus Ducem Rosam excubias agentem incessit, & in fugam actum ad castra usque insequitur. Sed cum victo rediret in præcordia virtus, & Bernhardus parata arma stringeret, præmium reportavit reciprocam fugam, & multas suorum cædes. Cum Duce Noa, ut hostes specularetur, emisso, facilius pugnavit, eaque fortuna elatus castra Vinariensia impetere ausus est; ferocius tamen, quam felicius, nec parcius sanguine quam labore impenso. Negligebat hanc jacturam Werthius, paulo post in velitatione quadam Bernhardo superior, quem multis ipsius militibus interfectis in castra rejecit. Quia tamen de suis etiam non paucos amisit, plures vulneratos reduxit, nec hac victoria gratis fruebatur. Novis ex Thuringia & Hassia sub Isolanio & Salisio accitis copiis prope Lauchi-

um Rheni propugnaculum tentans, gravibus vulneribus depellebatur. Juxta Mahlbergam tormentis depugnabatur, donec utraque pars, inopia commeatuum & conflictuum vehementia lassa, castra repetiit. Bernhardus partes transrhenanas dehinc tenebat; Cæsarei vero datam sibi occasionem rati, denuo invadunt munimenta ad Rheni pontem structa. Frustra tamen is labor fuit. Etenim cædibus 600. affecti, & vulneribus saucii, cum dedecore desistebant; Ipse etiam Werthius in malâ vulnus accepit; Savellii eqvus prostratus. Bernhardus trecentos desiderabat, æquo animo, modo gravius periculum non impendisset. Cum enim Lotharingiæ Dux, ægre ferens hanc vicem sociis reddi, ex Burgundia adventaret, ab hostibus includebatur. unde vires ipsius frequentibus insultibus debilitatæ; novumque huic accedebat malum, morbus & multorum militum defectio. Nihilominus Dei tutela, circumspectaque cura, in tanto discrimine servatus, ex Gallia octo millia per Truchsesium obtinebat, in fecundis Delspergensium vallibus hyberna capiebat, necessaria ad bellum cuncta parabat. Werthanus interim propugnaculum ad Rheni pontem denuo aggressus, feliciter superavit diruitque, cæsis, qui defensabant, mille Gallis.

§. 18. Ita Bernhardum ex Germania submotum gaudebant Cæsarei, non facile rediturum sperantes. *Sed qui nunc nihil timebant, post opprimebantur; & initium erat calamitatis securitas.* Postquam Bernhardus in pinguibus hybernis exercitum restituisset, A. 38. 18. Jan. sacris cærimoniis, ut eo tutius Martiis rebus se committeret, prius rite peractis, castra movet, & ad Rheinfeldam considet; post sequentis diei quietem 20mo dicti m. non procul Seckinga & Lauffenburgo exercitum 10. legiones pedestres; 8. t-

que-

questres complexum improviso Rhenum transportare incipit. Quam strenuum deinceps hoc anno se præstiterit, quantasque res patraverit, supra memoravi. A. 39. compositis in Alsatia rebus, ad Burgundiam domandam cum exercitu & tormentis reverti statuit. Igitur Jan. mense per Helvetiorum fines viam sibi aperit, & inoffenso agmine progreditur. Cum Bruntrutum, haud procul Soloduro distans, attigisset, lustrat exercitum, eqvitibus argentum ad amictum & arma reparanda distribuit, Ducem Schmidbergerum cum 7. legionibus ad Thannæ obsidionem mittit, cum reliqvo agmine ipse in Burgundiam penetrat. Longe lateque explicatæ legiones, pulsis Hispanis, prædas agebant, & sat largis hybernis potiebantur. Mense Mart. Bernhardus valetudine erat minus prospera, imminebatque anceps fides & venalis auro proditio; ad quam avertendam custodia validiore se tuebatur. Burgundiones, qui militarium morum impatientes coiverant, magno labore dispellebat. Inopem Alsatiam magna commeatuum copia juvabat. Tum vero nunciabatur Bavarum novum conscripsisse exercitum, eiq; summum præfecisse Ducem Gothofredum Huy, Baronem de Gleen & Wachtendonck; eum, antequam præveniretur, ut præveniret Bernhardus, delectis itineris Sociis Duce Würtenbergensi Friderico, Marchione Bado-Durlacensi Carolo Magno, & Rosa (quem multis stipatum militibus & tormentis ad Thannam obsidione fatigandam misit) in Alsatiam festinat, Brisaci 7. Apr. magna lætitia exceptus, sonantibus in ipsius honorem tormentis bellicis. Paschatos feria, quæ erat 14. Apr. sacra fruebatur synaxi; mox cum 800. equitibus & 400. dimachis, Lotharingicorum Philippiburgo, quo Ducem suum perduxerant, Bruxellas recurrentium

H 2 agmen

agmen expectabat. Hoc emensus iter, 18vo. dicti mensis Brisaci reportatam à Banero ad Chemnizium victoriam celebrabat. Tutus hactenus, imo invictus, ab externa vi & hoste aperto, denuo insidiis petitur. Sicarii enim quatuor & decem impetum Ejusdem & præcipuorum Ducum occidendorum conceperant; quòd scelus, cum unus de conspiratis Friburgi deprehenderetur, detectum; nebulo vero iste vivus in quatuor partes sectus. Postquam Alsatiæ nonnihil prospexerat, Burgundiam repetivit, Pontarlini armilustrium instituit, militibus menstruum stipendium dedit. Inde vero Bavaro-Cæsarei, in Ducatu Würtēbergico vires suas ostentantes, cito in Brisgaviam eum retraxerunt. Tum Bernhardus sollicitus de commeatu & apparatu bellico cogitabat, milites, qvorum 4000. equites erant, 1000. dimachæ, 7000. pedites, pugnæ aptabat, adhortationibus firmabat, & trans Rhenum ducere destinabat; ubi vero in medio victoriarum cursu humanis rebus ereptus est, relictis superstitibus non modo, sed etiam immortalibus victoriis ceterisque fortissimis factis, velut ex se natis, quæ tam breviter nunc non retulissem, nisi multitudo ursisset.

CAPUT VI.

De
Morte & Sepultura.

§. 1.

Questibus & planctibus, beatissimis Bernhardi manibus parentare nec animus est, nec institutū meum fert. Non defuere jam pridem huic labori sollertissima Ingenia; nunc vero cicatricem istam refricare non

non attinet; æterna etiam virtus Herculem fieri vetat. Historiam paucis referam. Cum Serenisſ. Bernhardus tum Reſidente Mockelio ad munitionem Höningianam profectus eſſet, negotia nonnulla expeditum, die quarto M. Julii An. 1639. primum ibi male habere cœpit, ſubitoque æſtu corripi. Febris fuerit, an venenum, incertum. Hoc Ipſe ſuſpicatus eſt. Nimirum *patet vel unius inſidiis Dux, nec quicquam nefas eſt avaritiæ.* Injuſtitiam vero Bernhardi inſidiarum cauſam extitiſſe, injuria calumniatur Anonym. Epit. Rer. Germ. Autor. Repentina valetudo ne mora invaleſceret, confeſtim Neoburbum deductus Bernhardus in lectulo ad reſumendas vires requievit, nemini aditus copia facta, ſeriisque rebus in aliud tempus rejectis. Medici bini in conſilium adhibiti; quod opis, quod artis erat, admotum; nihil inexpertum omiſſum. Sed fruſtra. Graves morbi dolores erant; æquo nihilominus & conſtanti animo ferebat Bernhardus, non minus adverſus mortem, quam hoſtem, invictus. Medicos percontabatur, qualis eſſet morbus, & num lethalis? Ipſi tum nihil certi pronunciari poſſe, ſed unum & alterum diem expectari oportere ajebant. Amici mœſti circumſtabant; aſt Bernhardus non modo ſine ullo triſtioris mentis argumento fuit, ſed illos etiam conſolatus eſt, & quibusdam dicentibus: *patriæ, qua mortuo ipſo aliquanto deteriore conditione bella ſubitura eſſet, intereſſe, ut i ſalvus exiſteret,* cordate reſpondit: Ach was wolt ihr darvon ſagen; Gott bedarff meiner nicht/ er iſt an meine Perſon nicht gebunden; Er hat und weiß noch wol Leute.

Curric. Vitæ Dan. Rückeri in concione funebri Briſaci habita.

Autor Epit. Rer. Germ. p. 216.

§. 2. Ingraveſcente indies morbo cum indubitatam ſentiret mortem, præcipue ad facilem ex hac miſeriarum valle egreſſum, & felicem in cœleſtia gaudia in-

greſſum ſe aptabat; pauca de ducendo exercitu, tutandaque patria in extremo diſcrimine ordinare poterat. Die octavo ante dicti Julii D. Rhölingerum arceſſivit, qui ultimam ſuam voluntatem utcunque in hora mortis conceptam literis conſignaret, & teſtamentum ſcriberet, cui ipſe Bernhardus poſt ſubſcripſit, & ſigillo ſuo confirmavit, unum atque alterum addere jubens. In hoc ſuo teſtamento Erlachium, Naſſovium, Roſam & Oehmium ſucceſſores imperii militaris nuncupavit, deficientibus ſed efficacibus verbis per Dei gloriam, Germaniæ libertatem, orthodoxam doctrinam ſerio obteſtatus: *dignos ſe ſui Ducis præberent ſucceſſores, imperium amice abſque amulatione exercerent, evellerent è pectoribus furori ſimiles avaritiæ & ambitionis impetus, tuerentur patriam, ſervarent exercitum, nec prius arma ponerent, quam Germaniæ reddita ſit libertas, & Proteſtantibus liberum religionis exercitium confirmatum; ſin hoc nequirent, ſanguine eidem parentare pulcrum ducerent.* Quatuor his ſupremis Ducibus decies millenos thaleros, aliis Ducibus legionariis ſexies centenos, Concionatori ſuo bellico quater millenos, Secretario aliquoties centenos legavit; reliquam pecuniam fidelibus miniſtris diviſit. Scilicet, veluti ſol jam jam occaſurus etiamnum lucem ſuam in noſtrum diffundit hemiſphærium: pariter Sereniſſ. Bernhardus in ultimo vitæ articulo liberalitatis ſuæ clariſſimos radios ſparſit, prorſus quaſi indecens ſit, in qua virtute totam transegerit vitam, cum eadem non claudere.

Theatr. Europ. Tom. IV. p. 13.

§. 3. Anima meditans ſalutem & æternam beatitudinem, mane circa horam ſextam ultimi ſui diei concionatorem bellicum Danielem Rückerum ad ſe venire jubet, ut abſolutorias pœnitenti imponeret manus, & ſacras

Curric. Vitæ Ejusd. Theatr. Europ. l. c.

cetas administraret epulas. Præsentem pie rogavit, non intermissis Deum sollicitaret precibus pro Spiritus Sancti gratia ad sinceram pœnitentiam & fidem in sese suscitandam. Tum tristi Ipsius menti obversari peccatorum deformitas, humanæ conditionis imbecillitas, legis severitas, Dei vindicis gravitas, pœnarum atrocitas. Unicum erat remedium, serio peccata indolescere, fœditatem naturæ humanæ detestari, cordis pervicaciam lacrymis execrari, iram & vindictam judicis exhorrescere, gratiam Divinam anhelare, spem omnem in Christo collocare. Hæc concepta ejus verba erant: Ich weiß gewiß/daß ich durch niemand/niemand/niemand kan seelig und von Sünden entlediget werden/als allein durch Christum und sein heilig Verdienst. Varia ex Scriptura sacra petebat solatia; frequens Davidicum istud suspirium in ore habebat: HErr/ gehe nicht ins Gericht mit deinem Knecht/denn vor dir ist kein Lebendiger gerecht! Cum secunda vice accederet Pastor, peccata aperte, sine fuco, confessus est, cum perspicuo divinæ gratiæ & Spiritus sancti operationis indicio, inter cetera his adjectis verbis: Ich traure nicht so sehr/ daß ich mit meinen groben vielfältigen Sündẽ die Hölle uñ ewig Verdamnüß verdienet/und deßwegen mich Gott aus dem Buch des Lebens auslöschen möchte; als daß ich meinen lieben/meinen frommen/ meinen gnädigen Gott so offt und vielmahl mit meinen Sünden erzörnet habe/der mir so viel gutes erzeiget und erwiesen hat. Remissionem ut sibi, morti vicino, absque ambage annunciaret, solatium ex sacris literis suggereret, & sacro reficeret cibo potuque, cunctantem monuit confessionarium; ac porrectis sacrosanctis illis deliciis in lecto erectus, brachiis extentis, quasi Christum apprehensurus, infit:

inlit: Nun will ich den wahren Leib und das Blut Christi meines Erlösers zu Vergebung meiner Sünden / und Vergewisserung meiner Seelen Seeligkeit empfangen. Pro tanto beneficio, tamque salubribus epulis debitas Deo exsolvit gratias, ejusque juxta arbitrium beatum obitum, ad quem christiane instructus erat, expectavit, ultimũ valere & à se discedere jussis amicis: Ihr Brüder gehet hinaus / ihr machet mich sonst irre; ich habe genug mit euch geredet / ich muß ietzund mit Gott reden. Jam paulum quiescere videbatur, sed spiritus interclusus arcte meabat; igitur Concionator denuo, nomine Jesu auribus & cordi Ipsius impresso, ut heroico & Christiano animo extremam superaret horam, hortabatur. Bernhardus id se impavide facturum pollicitus, digito in pectus intento, inquit: Ich verwundere mich / daß das Hertz noch so frisch ist / und zum Tode sich noch nicht schicken will. Hinc ad Deum conversus: Vater / in deine Hände befehl ich meinen Geist! Ach gehe nicht ins Gericht mit deinem Knecht! HErr Jesu nim meinen Geist auff! ach HErr mach es nicht lang! HERR gedencke meiner in deinem Reich! HErr Jesu laß mich ein Glied an deinem Leibe bleiben! Denique cruce sancta Ipse se signans, manibus clausis, pedibus projectis, suprema voce: *Jesu!* medias inter circumstantium preces paulo post horam septimam matutinam octavi supra dicti diei M. Jul. expiravit, & quam prospere acceperat, placide lucem reddidit, in cœlestem translatus gloriam. Annos triginta quatuor, menses undecim & dies duos expleverat Bernhardus, cum vitam finiret; fatali Heroibus tempore. Quippe & Serenisf. Dn. Frater Ejus Dn. Johannes Ernestus, Alexander Magnus & plerique Æacidarum intra trigesimum ætatis annum

Just. lib. 12. c. 15.

annum defuncti). Immatura mors ea fuit, ſi annos numeres; ſin victorias, gloriam, munera Dei fortunæque bene computes, diu vixit Bernhardus. Ceterum non modo mortis ſuæ præſagum, ſed & percupidum fuiſſe, conſtat. Cum enim incredibilem ſucceſſum homines admirantes nihil non Ipſum efficere poſſe ducerent, Dei parum memores; ægre id tulit Bernhardus, vix octo ante obitum ſuum diebus graviter propterea coram Concionatore Rückero conqueſtus: Man ſolte nur ein Exempel an Ihr. Königl. Maj. in Schweden nehmen; ſo bald man GOtt vergeſſen/und allein auff dieſelbige geſehen/ hätte ſie Gott hinweg genommen; ſo und nicht anders werde es Ihm gewißlich auch ergehen. Circa idem tempus audita militum ſuorum ferocia, indignabundus in hæc erupit verba: Mich verdreuſt länger zu leben/denn ich kan bey ſolchem gottloſen Weſen mit gutem Gewiſſen nicht länger verbleiben.

Rücker. concione cit.

§. 4. Ingens ſollicitudo & planctus apud omnes Orthodoxos, poſtquam fides mortis Bernhardi facta eſt. Flentes indignabantur, in tanto impetu curſuque rerum, omnis ætatis ac memoriæ clariſſimum Heroëm non in acie, non ab hoſte dejectum, ſed vel fraude vel ſubito morbo extinctum. Sereniſſ. DNNN. Fratres tam inopinato caſu attoniti, Aulis ſuis triſte ſilentium, ſubditis luctum publicum edicebant. Amici & milites capite ſe deſtitutos eſſe querebantur. Illum florem juventæ, illam vim animi, eundem Imperatorem & commilitonem divelli à ſe & abripi dolebant. Dolore nonnihil diſcuſſo juſta Duci ſuo parare ſtatuunt. Corpus exanime exenteratum, (qvod totum veneno infectum apparebat) inunctumque eſt; inde arcæ ferali incluſum, curru nigris pannis circumcincto, quem ſex eqvi, nigris itidem pannis velati, trahebant,

Th. Europ. l.c.

18vo Jul. Neoburgo Brisacum devehebatur, comitantibus Comite quodam Palatino Rheni, Erlachio, Nassovio, Mokelio, Oehmio, Mosero aliisque Ducibus, nec non omnibus Bernhardi satellitibus, lugubri habitu indutis. Brisaci tres legiones peditum cum cohorte equitum corporis Ejusdem, dum viveret, custode præstolabantur, & per urbem sequebantur. Die proximo capulus ab octo Capitaneis in templum Brisacensium cathedrale deportatus, & militaribus ac Christianis ritibus depositus est, concione funebri à Rückero ex 1. Maccab. 9. v. 21. habita.

Theatr. Europ. l. c. p. 25.

§. 5. Non diu post Potentiss. Galliarum Rex Ludovicus XIII. Legatos Brisacum solemniter misit, publicos sui doloris testes, sponsoresque fidei & auxilii ex Gallia deinceps sperandi. Circa finem Augusti Parisiis, Regii Palatii conclavibus undique nigro holoserico obductis, idem Rex ex singulari gratia cum Regina totoque Regio Comitatu Bernhardo parentalia magnifice celebravit.

§. 6. Sereniss. ac Celsiss. DNNN. Fratres DN. Wilhelmus DN. Albertus, & DN. Ernestus, Duces Saxoniæ &c. tum superstites, quibus vivum Bernhardum in Aulis suis Ducalibus post diutinam absentiam adspicere fortuna denegaverat, mortui saltem corpus patriis sedibus repetere & in avitum conditorium quamprimum inferre satagebant: variis vero casibus intercedentibus, multos annos Brisaci mansit, donec demum anno seculi quinquagesimo quinto hodiernus Galliæ Rex Ludovicus XIV. Ejusdem abducendi potestatem gratiosissime concederet. Igitur die 14to. Septembr. egregio Nobilium comitatu exportabatur Brisaco Bernhardus; Regium præsidium ministrando suum faciebat officium; tormenta exonerabantur; omnes Civitates transvecto Strenuissimo Duci supremos, quos pote-

poterant, exhibebant honores; in omnibus fortalitiis tormenta resonabant. Ducale funus in arce Wartenburgensi, juxta Isennacum, primum deponebatur; dein 10mo Dec. qui erat Lunæ dies, Vinariæ excipitur. E vivis interim excesserat DN. Albertus; reliqui duo Sereniss. DNN. Fratres, DN. Wilhelmus beatiss. nunc memoriæ, & DN. Ernestus Dei T.O.M. gratia hucusque incolumis, exequias splendide apparaverant, nullis parcentes sumtibus, iisdemque destinaverant proximum Mercurii diem, 12mum Decembris, quo cum pomposa, ut vocant, processione, & multarum Illustrium ac Nobilium Personarum frequentia Bernhardus in templum oppidanum Vinariense delatus, & ad dextram aræ inter avitos cineres repositus est. Laudes Herois concione ex 2. ad Tim. 4. v.7. & 8. iterum prosecutus est Vir Pl.Rever. & Cl. Dn.Dan.Rückerus, Ejus olim Concionator & Consistorii bellici Præses. Oratione vero panegyrica in conclavi Arcis Ducalis majore ipsum celebravit Vir Magnif. & Nobiliss. D.D.Samuel à Gechhaussen / p.m. tum Consiliarius Aulicus & Cancellarius Saxo-Vinariensis. Vale nunc, Heros Excellentissime, atq; etiam vale! molliter tui cineres quiescant! Anima in cœlis perpetua fruitur gloria; Fama sancta apud posteros perennat,

Semper honos, nomenque tuum, laudesque manebunt.

CAP. VII. & ultimum.

De

Symbolo, Cognominibus, Triumfis ac Tropæis Bernhardinis.

§. 1.

SOlemne eſt, maxime Illuſtribus Perſonis, certis apophthegmatib9 & ſymbolis uti, quibus vel certum aliquidperpetuo in memoriâ ſibi revocant, vel deſideria aut alia animi ſenſa exprimere aſſolent. Sereniſſ. Bernhardo hoc placuit, adverſis iſtis, in quibus vivebat, temporibus apprime conveniens: Si Deus pro nobis, quis contra nos? Deum Heptabœum ſuum Clypeum eſſe volebat, eo defenſore ſe tutum contra omnem vim, ſalvum contra quoscunque hoſtium inſultus perſtare poſſe ſperabat. Igitur ut hujus nunquam non memor & certus eſſet, monumentum apud ſeſe voluit eſſe illud Apoſtoli veriverbium.

Nobiliſſ. Dn. Samuel à Gechhauſen *Orat. Fun.*

§. 2. Nulla adeo barbara & ingrata fuerunt tempora, quæ Viris Illuſtribus de ſua virtute rebusque præclare geſtis non cognomenta dederint. Nec noſtrum tam injurium & faſtidioſum in æſtimandis ſuis bonis fuit ſeculum, ut Bernhardum juſtis inornatum titulis & ellogiis poſteritati tradiderit. Virtus & excelſus Ejus animus meruit, ut ſapientum cenſorum quorumcunque judicio, bonorum omnium conſenſu appellatus fuerit Bernhardus Magnus, Bernhard der Groſſe / Dextera

Manus

Manus Imperii, alter Achilles Germanicus, Vinariensis κατ' ἐξοχὴν, der von Weinmar / der Hertzog von Weinmar / itemque exercitus etiamnum post mortem Ejus Exercitus Vinariensis. Ita virtutes honore mactantur, & qui strenue pugnant, coronari debent. Quod Romanis priscis corona civica, quod obsidionalis; hoc Bernhardo tituli isti honorifici, ex rebus fortiter gestis nati. Tales generosus animus pluris facit, quin facere debet, quam grande auri pondus aut quodvis aliud humanum bonum.

Dn. Sam. à Beckhaussen. orat. cit.

§. 3. Virtus Bernhardi ellogia & augustos titulos consecuta fuit: Victorias triumfis & tropæis celebrari fas erat. Superatis juxta urbem Gray hostibus Bernhardus Regi Galliæ XVI. vexilla hostibus erepta ostendi curavit. Post victoriam Rheinfeldensem Lauffenburgi solemniter supplicatum & tormenta bis explosa. Parisiis etiam publica gratiarum actio in D. Virginis æde peracta, 18. vexilla & 33. cohortium signa Regi oblata ac singularibus ritibus consecrata sunt. Post Wittenweyherianam victoriam finitis eucharisticis sacris Duces Bernhardo de felici rerum successu gratulabantur, fusas hostium legiones repræsentabant, cohortes & vexilla ante Ipsius tabernaculum statuebant, auro atque argento artificiose intertexta & coruscantia. Cum post difficillimam obsidionem Brisacum tandem captum est, Bernhardus splendidissimum exegit triumfum die 16to Dec. Ante meridiem sacra eucharistica in Dei honorem frequentabantur, ubi concio ex Psalmo 129. v.4. recitata, & hymnus: *Te Deum laudamus!* alta voce decantatus. Deinde lautissimis epulis in arce præsentes amici excepti hilares sese

præbebant, ſumtisque cyathis annos precabantur multos Regi Galliæ, Reginæ Sueciæ, & recens nato Delphino. Poſt meridiem circa horam tertiam omnia tormenta, quorum 135. in urbe repererant, exploſa immenſum tonabant; ſtlopetorum ſonitu tota urbs perſonabat. Nec ſolum Briſaci, ſed aliis quoque locis lætitiæ ſigna audiebantur, Hagenoæ, Benfeldæ, Seloſtadii, Colmariæ. In æternam muniſſimæ urbis expugnatæ memoriam Bernhardo ſequens chronologicum carmen compoſitum eſt:

In VICto fortIs CeCIDIt BrIſeIs AChILLI,
JVngItVr & tanto DIgna pVeLLa VIro.

Alius ex voce Briſach Bernhardum Imperatorem Romano-Germanicum fore auguratus malam inibat gratiam. Hos triumfos in terris egit; hæc vivo erecta ſunt tropæa. Tandem poſt mortem beatiſſimam inſignia Vinariæ in templo oppidano ſuper ſepulcrum ipſius ſuffixa ſunt, cum lemmate: Mea Deus Gloria. Quod nunc mundanis non ſolum, verum etiam ſpiritualibus hoſtibus, invidia ac livore ſuperior in cœlis perpetuo triumfet cum Deo ſanctisque Angelis, ſupremam adeptus gloriam. Arma fortiſſimi Ducis in armamentario Ducali ibidem abſervantur.

Hæc ſunt, quæ de Sereniſſ. ac Celſiſſ. Bernhardo, Heroë memoriæ glorioſiſſimæ, ſciſcere potui. Ultimam nunc huic labori impono manum. Te, Triune Deus, calidiſſimis veneror ſuſpiriis, Sereniſſ. Familiam Saxonicam tua benedictione corones, tua tutela protegas, tua gratia ſalvam & incolumem conſerves! Prohibeas ab ipſa funeſtam cupreſſum! fac floreat & vireat Ruta Saxonica! Clementisſimi noſtri Principes ac Domini diu vivant,

ſero

sero in cœlum abeant! Tam benigni Principes, tanti Heroës Reipubl. bono renascantur! Te vero, Benivole Lector, etiam atque etiam oro, meum conatum ne male interpreteris, laboremve qualemcunque sugilles. Arduum est historias scribere. In re ardua lapso quin facile veniam dederit æqvus censor, non dubito.

Magna Ducis Magni faciens præconia, dignum
Hic curæ pretium sentiat inde suæ.

Rudolphus Wilhelmus Krausz/
Phil. & Med. D. P. P. h. t. Acad. Rector.

STamina BERNHARDI reparans fatalia Magni
Linckius Iliadem suscitat ecce! novam.
Sic itaque Heroëm laudans laudabitur ipse,

Et

Et Magnum celebrans præmia magna feret.

Pereximio Dn. Magiſtro L. Mq. ita gratulatur

Sebaſtianus Niemann/D. P.P. & Superint.

D*Um de BERNHARDO, quem Mars cognomine MAGNUM*
Proclamat, Linki, dextima verba facis:
Hicce precor placeat Phœbo conatus honeſtus,
Et placeat doctis, principibusque viris.

Grat. ergò adp.

Erneſtus Fridericus Schröter/ D. & P.P.

HErculeo cordi perſpecta Mathemata belli
O quantum faciunt Martis in orbe Virum!

Clariſſ. Dn. M. Præſidi, Amico & Synæto ſuo ſuaviſſimo de tanto Principe diſputanti gratul.

Erhardus Weigelius, P.P.



F I N I S.